15.

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XXV. MENS. MAII ANNI MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HYACINTHUS GRILLET,

VALLESIUS.

OPPONENTIBUS:

D. AR. RAFFALOWITSCH, MED. ET CHIR. DR.

D. N. STUDER, MED. ET CHIR. DR.

D. C. BISCHOFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NATORFFIANIS.

VIRO

EXCELLENTISSIMO, ILLUSTRISSIMO

EMMANUELI GAY,

CIVI SEDUNENSI, MED. ET CHIR. DOCTORI, SUPREMI STATUS VALLESIAE CONSILIARIO, MILITIAE HONORIFICAE EQUITI, NATURALIUM SCIENTIARUM SOCIETATIS HELVETIAE SODALI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

De morbi natura.

Quod Baglivius jam ante tot annos de hoc morbo effatus est: „phoenomena si spectes, reliquis morbis est notior, si constitutionem et causam, omnium ignotissimus," *) nostris etiam diebus suam tuetur veritatem. Etiamsi Physiologia et Anatomia pathologica multis rebus antea obscuris atque dubiis clariorem attulerint lucem; quamvis morbi therapia, uti constat, maximopere sit exculta, fatere tamen debemus, morbi naturam et causam proximam nobis non multo magis innotuisse, quam Hippocrati et Galeno. Theoriarum sane non est penuria, immo tanta est ipsarum copia, ut quaevis fere Medicinae Schola suam sibi peculiarem finxerit; sed inter omnes ne unam quidem, quae ad omnia phaenomena plane explicanda et illustranda sufficiat, invenimus. —

Phaenomenon vero, quod omni aevo medicorum perspicacitatem mirum in modum exercuit ipsorumque attentionem singulariter occupavit, est mirabilis illa periodicitas, qua fit, ut per tempus aliquod affectiones morbosae adsint, quae per certa temporis intervalla omnino silent et sani corporis imaginem nobis ostendunt. Quae regularitas periodica non tantum in singulis morbi insultibus, sed etiam in ipsis stadiis cognoscitur, nam

*) Prax. med. vol. I. cap. 13.

singula frigoris, caloris et sudoris stadia regularit[e] et typo fixo sese excipiunt, immo morbi reversion[e] periodici aliquid nobis haud obscure offerunt. —

Antiquissimi de hoc morbo scriptores, inter quos etia[m] Galenus, humoralistarum explicationibus ducti, morbu[m] ex quadam sanguinis corruptione deduxerunt. Illa[m] opinionem secuti sunt omnes fere medici usque ad m[e]dium seculum decimum octavum. Ab illo autem tem[-] pore, dignitate nervorum in procreandis morbis accur[a]tius indagata, febres intermittentes ex numero morboru[m] humorum proscriptae, nunc nevrosibus adnumerantu[r]. Ultimis quoque temporibus de febre, quam olim medi[ci] symptoma princeps habuerunt, multa exorta sunt dubi[a]. Veteres enim quamlibet affectionem intermittentem ap[y]reticam, larvatam appellabant, quippe quae justa a[c] legitima non esset. Quum vero de febrium essenti[a], uti aiunt, omnino dubia orirentur haud levia, medici han[c] opinionem amplectentes novam de morbis intermitten[ti]bus in medium protulerunt sententiam et omnes morbo[s] periodico typo sese manifestantes, sive febriles, sive non f[e]briles in unam eamdemque classem, sub generali inte[r]mittentium nomine, redegerunt; in eo praecipue a pri[o]ribus deflectentes quod eas, quae illis larvatae hab[e]bantur, justas ac legitimas, quae vero illis legitima[e] modo cum febre complicatas declarabant.

Haec sententia, eo praecipue fulcitur, quod iisde[m] remediis, quae febri intermittenti tollendae inserviun[t] caeterae quoque affectiones intermittentes, quae saepi[s]sime eodem tempore, quo febres intermittentes gra[s]santur et denique in ipsis paroxysmis eadem stadia [et] criseos phoenomena ostendunt, sanantur. Quocumqu[e]

sub respectu hunc morbum intuearis, eum ab illis, qui olim larvati nominabantur, uti cephalaea, odontalgia etc. intermittente, non modo non discernere, sed eum pro nervoso habere non haesitabis. —

Quaerentibus autem in quanam systematis nervosi regione morbus suam figat sedem, sane difficile est responsu. Consentiunt quidem multi auctores in eo, quod ganglia praecipue et nervi illis praediti, intermittentibus praeesse credunt; quia e physiologica quadam lege etiam organa nonnulla a nervis gangliosis, uti sympathico atque vago, nervos suos ducentia, ex. c. intestina, cor, typum quemdam in functionibus suis manifestant. Hanc viam secutus est Lobstein, qui intermittentium sedem in plexubus splenico et hepatico, qui gangliis suis quam maxime a caeteris nervis disjunguntur, posuit. Sachs breviter febrem intermittentem pro affectione gangliorum pectoris et abdominis declarat. Schönlein,*) cujus hac in re magna est auctoritas, existimat intermittentes forsitan omnino non existere, nisi in nervis cerebralibus et spinalibus ganglio praeditis, quare eas in intermittentes cerebrales et gangliares distinguit, et ipsarum sedem in iis potissimum locis collocandam esse arbitratur, ubi peripherici nervorum radii vasis sanguiferis quam arctissime cohaerent; quum vero nervi a sympathico ortum suum ducentes sat accurate cum vasis abdominis decurrant, (quamobrem nervi vasculares dicuntur) et ex nervis cerebralibus trigeminus potissimum cum systemate vasorum arctum ineat vinculum, non mirum, si illi praecipue nervi affectione intermittente corripiantur. —

*) Allgemeine und specielle Therapie. 3te Aufl. Bd. 4. p. 3.

Caeteris, quae de hujus morbi sede prolatae sunt opinionibus, quum una ad omnes non nisi hypothetica sint, omissis, una solummodo nobis adhuc memoratu digna videtur, quae ante aliquod tempus Kremer*) proclamavit, quia ad diagnosin certiorem reddendam aliquid valere videtur. Kremer quidem omnia intermittentium phoenomena ex quadam laesione functionis medullae spinalis deducit; haec autem laesio provenit ex vitio alicujus organi nervos suos a medulla spinali ducentis; quapropter dolor in regione vertebrarum dorsalium superiorum ei pathognomonicum hujus morbi est symptoma; immo asserit, illud symptoma semper recidivam febrem praenuntiare, nec in febribus sic dictis larvatis deficere. —

In investigandis et explicandis typi periodici causis ab antiquissimis jam temporibus summopere desudarunt scriptores medici. Revera non facile in natura aliquid mirabilius reperitur, quam illud phoenomenon. Vix enim intelligere possumus, quomodo organismus, uti in paroxysmis apparet, tam vehementer perturbatus et quoad functiones systematis tum vasorum tum nervorum tam graviter alienatus, elapso brevi temporis spatio quasi ab omni affectione morbosa liberatus videri possit. Veteres, quae ad nos pervenerunt, hujus phaenomeni explicationes mere sunt mechanicae. Philosophia corpuscularis, ex. c. docebat, variis temporis intervallis variam esse corporis conditionem, canaliculos majori minorive atomorum volumine esse obstructos. —

Nec magis arridet Humoralistarum theoria, quae per tot secula suos habuit asseclas et cujus auctor ex-

---

*) Kremer's Beobacht. und Untersuch. über Wechselfieber.

stitit Galenus. Deduxit febres ex humorum putrescentia et omnia phaenomena, quae in illis in conspectum veniunt, ex calore corpori insito pugnante cum materiis corporis corruptis, explicavit. Singulos etiam paroxysmos tum intrare existimabat, *) cum pugna illa committeretur; intermissiones vero, si pugna peracta, aliqua pars corruptae illius materiei eliminaretur. —

Justo fusius pertractanda esset materia, si omnes quae huc pertinent, hypotheses omniaque somnia pervolvere vellemus; sed nullus inde in praxin redundaret fructus, quum ad unam omnes eo laborent vitio, quod ex figmentis theoriisve praeconceptis suam ducant originem. Satius est igitur, candide profiteri, hujus enigmatis explicationem densis adhuc et multis obnubilari tenebris. Nec arbitramur, plane assentiendum esse opinioni eorum, qui ob similitudinem illius typi cum variis phaenomenis meteorologicis eum ex ipsis suam depromere originem concludunt. Propterea non ab omni parte celeberrimi et propter ingenii sagacitatem jure laudati Schönlein, lunae circa terram circuitum illius typici intermittentium decursus fontem esse existimantis, **) sententiae assentire possumus. —

Ea etiam sententia de natura febris intermittentis, quam Reider ***) amplexus est, memoratu digna videtur et cum multis accuratisque disquisitionibus superstructa sit, eam hic paulo fusius exponere non supervacuum erit. —

---

*) Galen. de diss. febr. Lib. cap. 7.

**) l. c. p. 4.

***) Reider Untersuchungen über epidemisch. Sumpffieber etc. Lpz. 1829. p. 37.

Reider, qui hunc morbum remotis in regionibus, ubi endemice grassatur, praxi diuturna et sedula diligenter perscrutatus est, opinionem hactenus ab omnibus fere receptam, nempe febrem intermittentem morbum esse sui generis, absolute negat, et haec ipsi placuit theoria: —

Nomine febrium paludosarum (fièvres de marais, sumpf-marschfieber) intelligit omnes illas affectiones febriles, quae producuntur exhalationibus e corporibus putrescentibus emanantibus et in corpus humanum agentibus, cui morborum classi febrem intermittentem, remittentem et flavam adnumerat. Inter haec tria morborum genera nullum aliud agnoscit discrimen, quam gradum. Caute vero monet, ne quis hoc perperam intelligat, quod febres remittentes sint altior intermittentium gradus, febris flava altior gradus remittentium. Causa autem diversitatis graduum in ipsis materiis corruptis est quaerenda, quae, prouti magis minusve corruptae sunt, febrem modo flavam, modo remittentem, modo intermittentem procreare valebunt. Praecipuam, quae inter remittentem et intermittentem existat, affinitatem jam ex eo cognosci posse existimat Reider, quod in intermittente Symptoma princeps, nempe intermissio, saepe desideretur, et quod in regionibus terrisque calidis, ubi aër vaporosus superat intermissiones vel ab initio, vel in decursu deficiant et febres die septimo vel nono crisi solemni terminentur, ita ut quovis respectu conveniant et inter se discerni non possint, nisi sensu quodam frigoris certis horis intrantis, oscitatione, siti aucta, aliisve hujusmodi symptomatibus levioribus, verum morbi characterem indicantibus. —

Notum est, intermittentes et remittentes facillime unam in alteram transire. Nonnullis in terris observantur intermittentes, quae adhibitis chinae praeparatis, aliisve hujusmodi remediis, determinato suo privantur typo et in remittentem commutantur. Quantum vero inter se differant variae intermittentium species, observare possumus in sic dictis e p h e m e r i s, quarum levis paroxysmus paucis absolvitur horis, intermissione perfecta sequente, vel in h e m i t r i t a e o perniciosa, non raro mortem adducente. —

Quomodo exhalationes illae putridae morbum procreare valeant, Reider ita explicat *): exhalationes respiratione in corpus recipiuntur, ubi peculiarem quandam nervorum irritationem efficiunt, cui aucta succedit systematis sanguiferi actio ac sanguinis crasis vitiosa. Sanguis enim, uti necesse est, non oxidatur, carbogenio non excreto abundat, intimam vasorum, praesertim venarum, membranam justo magis irritat, unde venositas morbosa nascitur, quae ad illum morbum dispositionem constituit. Affectionis tamen inde provenientis non semper eadem est vehementia. Si emanationum nocivarum irritationis nervosae, sanguinisque cachexiae non major adest gradus, praesertim in corpore caeteroquin sano natura quandoque, unica reactione, quidquid morbosi adest, eeliminare valebit, et tunc oritur e p h e m e r a. Reactio ista non semper sufficit, redit igitur certis ac definitis temporibus, quoties abnormis illa nervosa irritatio, sanguinisque cachexia denuo ad vehementiorem pervenerint gradum, usque ad septimum nonumve diem

*) l. c. p. 149.

ubi ejusmodi febres sponte et sine medicamentis terminantur. Cur tales febres saepe per longum protrahantur tempus curationique pertinaciter resistant, duplex est causa: aut latet adhuc in corpore morbi fomes nondum plane exstinctus, aut persistunt adhuc emanationes putridae aegrotum infestantes. Ex iisdem fontibus repetenda est peculiaris intermittentium propensio ad recidivas, quae tamen raro contingunt, nisi febris quibusdam irritamentis, v. g. medicamentis, obiter tantum suppressa fuerit, perstantibus autem abnormitate veraque morbi causa non justo tempore convenientique febris decursu exstincta. —

Morbi varietates.

Praecipua hujus morbi ab aliis febribus differentia in eo consistit, quod libera adsint intervalla, quae non semper eadem sunt, sed modo longiora modo breviora. Mirabili huic phaenomeno a vetustissimis jam temporibus superstructa est morbi divisio. Temporis spatium, quo febris accessus apparet, paroxysmus, spatium vero, quo phaenomena silent, apyrexia nominatur. Singulorum paroxysmorum reditus, certo tempore et aequalibus semper fit intervallis, si typus est fixus, aut accessus non tantam ostendunt regularitatem, si typus est vagus. Typus autem vagus duplex esse potest regularis vel irregularis. Regularis dicitur si quisque paroxysmus antecedentem aequali temporis spatio aut maturius, (typus anticipans) aut serius, (typus postponens) sequitur. Irregularis seu erraticus, si modo anticipat, modo postponit, nullo servato ordine. —

Febres typum regularem servantes, pro longitudine apyrexiae in tria potissimum distribuuntur genera, in febres nempe q u o t i d i a n a s, t e r t i a n a s et q u a r t a n a s.—

Q u o t i d i a n a e appellantur febres, quae singulis diebus aegrum invadunt, ita tamen ut, inter singulos accessus aliquod temporis spatium, symptomatibus febrilibus omnino liberum, intercedat. Dantur tamen medici, qui typum quotidianum omnino negant. Riverius ex sexcentis aegrotis febri intermittente laborantibus nec in uno quidem casu illum typum observavit. In scriptis Hippocratis nulla illius typi fit mentio. Celsus autem fusius describit hujus febris decursum. Galenus etiam nonnulla enarrat peculiaria, quae diu observavit. Quotidianae quam maxime grassantur tempore vernali. Nostris in regionibus frequentius tempore matutino intrare solent, in patria Galeni vespertinas horas praetulisse videntur. —

T e r t i a n a e alternis intrant diebus singulique paroxysmi post quadraginta octo horas sese excipiunt; unum igitur nychtemeron, omnino liberum, binos disjungit accessus. Hae febres omnium sunt mitissimae, haud raro sponte, nullis adhibitis remediis, cedunt. Attamen non omnes tertianae species tam leves sunt, immo una reperitur gravissimi momenti, nempe h e m i t r i t a e u s.

Diversimode febris illa a variis describitur auctoribus, quorum alii illam a tertiana d u p l i c a t a non discrepantem existimant, alii illam ex quotidiana remittente et tertiana compositam habent, alii denique contendunt, eam nihil aliud esse, quam tertianam simplicem singulis tamen paroxysmis per longius tempus protractis, nec perfecte in remissione desistentibus. —

Reider, qui in Valachia per decem annos praxin exercuit, quovis fere autumno, praesertim tempestate humida, saepissime illam observavit, et illius decursum sequenti fere modo describit*): intrare solent ejusmod febres, (hemitritaei) uti intermittentes simplices, frigore siti, oscitatione, etc., omnibus tamen symptomatibus multo gravioribus; paroxysmi quotidie adsunt, ita tamen ut alter mitior, alter gravior sit, tempore inter bino interposito non omnino symptomatibus febrilibus destituto, ita ut illam compositam putes ex tertiana duplicata et febre remittente. Quoad exitum, saepe cum paroxysmo uno, plerumque longissimo et ultimo, crisi intrare solet et sese manifestat sudore copioso, urin hypostatica, quibus aut morbi perfecta solutio, aut transitus in tertianam simplicem benignam, remediis soliti facile cedentem, succedit. Attamen hunc faustum non licet sperare eventum, nisi morbus prudenter cauteque medicaminibus refrigerantibus, purgantibus et diaeta antiphlogistica curetur; quoties enim ante diem nonum china aliave hujusmodi remedia incitantia adhibentur, febris omni typi regularitate privari, in remittentem commutari, per plures hebdomadas protrahi videtur, non raro denique in hecticam et hydropem transire, mort plerumque subsequente. —

Quartanae talem observant typum, ut singuli paroxysmi post horas septuaginta duas sese excipian ita igitur, ut duo nychthemera apyretica adsint. Omnium quidem levissima esse videtur, ob longissimum temporis intervallum, quod aegro conceditur, ut exhau

*) l. c. p. 113.

stas denuo vires recuperare valeat. Experientia autem d nullo modo comprobavit, immo illam perniciosissimam esse docuit. Saepissime intrant istius modi febres tempore autumnali, et per totam quandoque protrahuntur hiemem. Ex aliis intermittentium speciebus protractis, neglectis vel male tractatis, saepius oriuntur, raroque primitus tanquam quartanae in scenam prodeunt. —

Inter tres illas intermittentium species, modo memoratas, hoc physiologicum discrimen posuit Bartels *): Quotidiana est omnium maxime arteriosa, suamque in gangliis thoracis habet sedem; quartana vero maxime omnium venosa, ex gangliis abdominis ducit originem; tertiana denique quoad arteriositatem et venositatem medium quasi tenet atque hepati debet ortum. —

Quanquam febres intermittentes frequentissime commemoratos typos sequantur, veteres tamen ac recentiores scriptores observarunt intermittentes majoribus intervallis praeditas. Ipse Hippocrates **) de quintana et nonana seu novenaria loquitur; Galenus ***) etiam quintanae mentionem facit; octanae, decimanae, quatuordecimanae et quindecimanae, immo menstruae et annuae febres a variis commemorantur auctoribus. —

Alia febrium intermittentium divisio est in simplices et duplicatas. Posteriores a prioribus in eo praecipue differunt, quod tempore apyrexiae levior quidam accessus intrat, ita ut tertiana similitudinem osten-

*) Die gesammten nervösen Fieber. B. 1. Berlin 1837.

**) Epidem 3.

***) De diff. febr. l. I. Cap. V.

dat cum quotidiana, et quartana uno tantum die apyretico praedita sit. Qua de causa Sauvagesius eas in duplices et duplicatas distribuit, quae autem verborum differentia apud veteres non reperitur. Duplices illae nominantur, quae duos eodem die offerunt paroxysmos; duplicatae autem quae alternis diebus paroxysmum sibi correspondentem repetunt.

De intermittentis larvatae significatione jam supra quaedam protulimus. Ea intelligitur febris intermittentis species, qua non raro affectiones morbosae plane insolitae exoriuntur, quae decursu suo formam intermittentem, nempe paroxysmos et apyrexias, manifestant; caeteroquin phaenomena febri intermittenti peculiaria, aut plane nulla, aut saltem valde debilia vixque percipienda, offerunt.

Illae autem affectiones morbosae, quibus vera febris intermittens tanquam insidiosus hostis subest, diversi generis sunt ac originis; modo enim morbi phaenomena ex neurosium classe, quo in casu affectiones locales, id est, certa in corporis parte apparentes, occurrunt; (quamobrem Swietenius *) nomine febris intermittentis topicae utitur), modo proveniunt ex classe morborum secretiones aut profluvia complectente; modo ex morbis inflammatoriis, etc. ita ut nulla fere morbi forma inveniatur, quam febris intermittens induere non possit. Interdum tales etiam febres, diversissima symptomata, alio in paroxysmo aliter se habentia, vel demum consociata prae se ferentes, observantur, quas auctores, inter quos primus Torti, ob symptomata eas concomitantia,

*) Comment. in Boerhav. aphor. 757.

omitatas, et prout haec symptomata plus minusve periculi manifestant *malignas* aut *perniciosas* vocarunt.

Morbi, sub quorum forma sive comitata sive larvata pparere potest febris intermittens, et quorum exempla uam plurima auctores tum veteres tum recentiores ı variis medicinae annalibus enarrant, sunt plerumque ephalalgia, odontalgia, prosopalgia, asthma, syncope, onvulsiones, epilepsia, apoplexia, paraplegia, amaurosis, aemorrhagia, vomitus etc.; unde nomen intermittentis ephalalgicae, epilepticae, syncopalis, etc. —

Paucis jam de intermittentibus *topicis* prolatis, auca adhuc de ipsarum indole addamus necesse est. Non semper sunt *larvatae*, sed saepissime a normali ntermittente simplici eo tantum deflectunt, quod symptomata quibusdam corporis partibus limitantur. Sic e. g. itatum invenimus apud Senac *) casum ab ipso observatum, ubi inferiores modo corporis partes frigus corripiebat, dum superiores partes ardore intenso afficerentur. Idem auctor alium vidit aegrum in uno latere lgentem, in altero ardentem, alium denique non nisi in ıno brachio frigus percipientem. Etiam Sauvagesius talem bservavit febrem, ubi frigus non minus ac calor subsequens unum tantummodo afficiebant brachium. Nec minus nira videtur observatio quaedam a Collin **) facta, ubi rigus tam arctis limitibus circumscriptum erat, ut nullibi, nisi in abdomine, et quidem in ea parte, quae umbilicum circumdat, perciperetur. Topicae istiusmodi febres,

*) Von den Wechselfiebern p. 41.

**) Trnka de Krzovitz de feb. intermitt. § 22.

juxta communem auctorum sententiam pravam morb indolem indicant. —

Maximi sane momenti est intermittentium distinc tio secundum anni tempestates, quibus praecipue gras sari solent, in vernales nempe et autumnales quum non solum indole sua et toto decursu maximoper inter se differant, sed etiam quoad prognosim et cura tionem rite instituendam probe distingui debeant. Ver nales enim febres ad acutum magis vergunt charac terem, immo facillime in inflammatorium transeunt, ut plurimum typum quotidianæ aut tertianae immo duplicis sequuntur, curationem irritantem nullo modo ferun nec raro sponte, aut saltem levioribus remediis eva cuantibus, salinis leviter aperientibus, facilius cedun Autumnales e contra plerumque quartanae ess consueverunt, quas propterea et jure quidem Syden hamus autumni sobolem appellat; saepius epidemica grassari solent, curationi pertinacius resistunt, in regic nibus calidioribus et paludosis frequentissime perniciosa evadunt, denique maximam ad recidivas et affectione chronicas proclivitatem ostendunt. —

Restat adhuc, ut exponamus intermittentium d stinctionem a P. Frank institutam, nempe in nervc sam simplicem, gastricam et inflammatorian Gravissima est propter leges atque cautelas, quae ind. redundant in curationem instituendam. Vix facil sapientem medicum invenies, qui temere in febri inter mittente praebeat specifica, characteris illius varietati immemor. —

Schola Broussaiana, morbis omnigenis inflamatio nem subesse putans, febres etiam intermittentes pr

astro-enteritide habet et Pallas,*) illius assecla, tripliem illius statuit indolem. Febrem intermittentem essenialem, tanquam gradum levissimum ex irritatione quadam rodire censet, cujus sedes in ventriculo, visceribus, aut ystemate vasorum sit quaerenda. Secundam speciem, ebris perniciosae nomine vulgo designatam, ex gastrontero-encephalitide deducit. Tertiam denique, aliis ebrem larvatam, tanquam inflammationem acutam venriculi, cordis, pulmonum, cerebri, cui tamen subest chaacter intermittens, considerat.

Phœnomenologia.

Quamvis morbi quasi normam, quae omnibus illius ormis sit accommodanda, statuere non liceat, quia, ut upra adnotavimus, tanta invenitur varietas et quoad ntensitatem et quoad qualitatem phoenomenorum, onnulla tamen existunt, quae omnibus plus minusve onveniunt.

Nullam facile invenies febrem intermittentem subito c repente intrantem, plerumque enim prodromis quiusdam praenunciatur, modo longius, modo brevius morum ipsum antecedentibus. Si accuratius paulisper aerum examinamus, semper fere nutum quemdam detegimus, cum jam fateatur, a nonnullis diebus, vel hebdonadis, aliquam percepisse animi depressionem, corporis ledolationem, capitis gravitatem, sitim, nauseam, anorexiam, alvi obstipationem, aliaque symptomata, quae gastricam indicant affectionem, donec tandem primus pa-

*) Pallas, réflexions sur l'intermittence etc. Paris 1830. p. 19.

roxysmus genuinus omne de vera morbi natura dubiun abstulerit.

In ipsis paroxysmis, quorum quisque propter crisin quae singulos comitatur, pro morbo completo atque per fecto haberi potest, facile distingui possunt tria stadia frigoris nempe, caloris et sudoris, quorum primum a Recamier tanquam periodus virium concentratio nis, secundum tanquam periodus expansionis vel re actionis, tertium denique tanquam periodus stationi vel criscos, considerantur. —

Stadium frigoris inchoat sensu quodam lassitudini corporisque gravitatis, praesertim in cruribus; membr aegri hinc inde distenduntur; frigus levius per dorsum e os coccygis vagatur; frequenter simul adest dolor aliqui juxta columnam vertebrarum et in regione lumbali; aege nullo somni desiderio pressus, urgetur repetitae oscita tionis necessitate; vultus et extremitates pallescunt; nas digitorumque apices livescunt; cutis sese contrahit atqu fit anserina. Pulsus sunt parvi, contracti, saepe vix pe cipiendi, non raro inaequales. Respiratio brevis, frequens laboriosa, sitis adest, nec raro etiam nausea et vom tus accedunt. Frigus ipsum diversi est generis, mod non nisi horripilatio quaedam, modo tantus horror, u omnes artus tremant, totumque corpus concutiatu maxilla inferior et superior tam vehementer con quassentur, ut ipsi dentes non nunquam diffringan tur, aegrotus ipse e lectulo in altum excutiatur artus quandoque tantae sunt rigiditatis, ut aege similis homini vi frigoris hiemalis oppresso, immobili jaceat. Qui quidem frigoris sensus non solum, uti non nulli voluerunt, ab ipso aegro percipitur, sed a circums

antibus, nec non thermometri ope explorari potest, quamquam hoc non tantum indicet gradum, quantus pro egri querelis sit conjiciendus. Durante frigoris stadio ullus ciborum appetitus adest, sitis vero aegrum cruciatur ere insatiabilis. Alvi excretio plerumque tarda, nisi, quod raro evenit, jam ab initio statim apparuerit diarrhoea. Urina parca, limpida, pallida, ut in affectionibus pasticis. Caeterum spasticus hujus stadii character e acteris etiam colligendus est symptomatibus, praesertim x cute contracta aliisque corporis partibus, quae ita olumine decrescunt, ut armillae et annuli sponte decilant; porro ex pulsus urinaeque qualitate. Illi, ut ita licam, spasmo externo internus etiam associatur, quo fit, it sanguis in majoribus organis retineatur, circuitus perurbetur, transitus in vasa cutis cupillaria impediatur, inde frigus atque pallor partium periphericarum, in quibus propter sanguinis venosi stasin non raro lividus conspicitur color, plerumque non nisi in unguibus atque labiis, vel in apice nasi angulisque oculorum; Senac*) autem vidit totum nasum livescentem. —

Tempus, per quod frigus durat, non semper idem est, modo horae quadrantem non excedit, saepius per horas nonnullas perdurat. De Haen**) per horas duodecim in uno casu illud perdurasse enarrat; neque desunt casus, ubi omnino abfuit.

S t a d i u m c a l o r i s frigus excipit, rariusque desideratur. Illius initium eo cognoscitur, quod cutis rigiditas atque asperitas disparent, unguium labiorumque livor colori naturali cedit. Nausea et vomitus, si aderant, de-

*) l. c. p. 46.

**) Rat. medend. P. XI. p. 46.

sinunt; pulsus prius parvus, contractus, liberior, plenior, celerior evadit, magis magisque evolvitur. Pectoris anxietas minuitur, nec non respirationis difficultas. Tunc vero alia comparent symptomata molesta; summa aegri inquies, atque ab uno ad alterum latus jactitatio, sitis vehementissima, rubor faciei intensus, sensus plenitudinis vel intumescentiae in capite, denique splendor et prominentia oculorum, lucem fugientium. Semper fere aeger simul conqueritur dolorem valde gravantem capitis et artuum; urina emittitur copiosa atque rubra; nec raro, praesertim in hominibus plethoricis, deliria accedunt. Illud autem stadium plerumque per tres, quatuor sexve horas protrahitur.

S t a d i u m s u d o r i s seu criseos paroxysmo finem imponit; quo intrante omnia phoenomena aegrum infestantia mîtescunt, cutis arida, sicca in mollem et humidam mutatur, ac sensim sensimque in sudorem universalem, odorem peculiarem spargentem, transit, qui per plures horas protrahitur. Capitis dolores, sitis vehementia, respirandi difficultas, silent. Aeger levamen quidem, sed lassitudinem eximiamque debilitatem persentit. Urina exoneratur opaca, turbida, sidimentum lateritium post aliquod tempus demittens, quod, uti recentiores docuerunt analyses chemicae, ex ácido urico constat. Saepissime aeger, fessus atque languidus, alto corripitur somno, ex quo plerumque, viribus repecuratis, surgit. —

Non semper autem febris decursus tam est benignus atque mitis, immo inveniuntur intermittentes, quae jam in primo, aut saltem in tertio paroxysmo ita aegrum infestant, ut mors illico sequatur; quas febres p e r n i c i o s a s appellamus. Apud Hippocratem, cui febris intermittens simplex non erat ignota, hujus formáe nullam

ıvenimus mentionem; nec apud Celsum et Galenum. psi etiam medici Arabes eam non observasse videntur.)uod eo mirabilius videtur, quod jam Praxagoras, qui luribus seculis antea vixerat, illius mentionem fecit; et ix explicari potest, quomodo auctores usque ad seculum lecimum sextum, ubi Mercati primus illam denuo descripit, fugere potuerit. Ab illo tempore celeberrimi quique nedici multum in eo desudarunt, ut et cognitionem et urationem morbi illius perniciosi accuratius explanarent.)ua in re summas meruerunt laudes Sydenhamus, Torti, Verlhoff et alii. —

Febres intermittentes perniciosae quam creberrime um typo occurrunt tertiano, rarius quartano; in nostris regionibus non nisi sporadicae atque rarae in conspectum veniunt. In plagis vero meridionalibus, in terris paludosis, praesertim in India occidentali, Java, Guinea, in nonnullis partibus Galliae, Italiae, in quibusdam Bataviae provinciis, in littoribus maris, admodum sunt frequentes. Cognoscitur character morbi insidiosus ex symptomatibus insolitis, aut saltem praeter modum vehementibus, ex summa dedolatione, anxietate, frigore intensiore atque longiore, cui mox superveniunt artuum tremor, respiratio difficilis, inquies summa et jactatio. Phoenomenorum agmen non minuitur nec pacatur, intrantibus calore et crisi; sed nova plerumque comparent diversi generis, semper autem pessimi ominis. Modo cerebrum praecipuam mali sedem exhibet, nam encephalitis, apoplexia, sopor, lethargus in scenam prodeunt; modo medulla spinalis affecta esse videtur, uti in convulsionibus, epilepsia, hemiplegia etc., modo pulmones laborare videntur, si asthmatis, pneumoniae, suffocationis sympto-

mata sese exhibent; quandoque morbis occurrimus, quorum sedem omnino ignoramus, siculi cholerae, hydrophobiae etc. quorum exempla apud auctores citatos haud rara invenimus. Gravissimi autem momenti sunt symptomata infausta, quae non modo aegrum in ipso accessu quam maxime infestant atque torquent, sed vitae summum afferunt periculum et vix unquam aeger, nisi mature idonea validaque adhibita fuerint remedia, salvus effugit, sed plerumque nervorum paralysi mors inducitur.

In normali ac simplici febris intermittentis decursu, paroxysmo absoluto semper apyrexia succedit, modo longior, modo brevior, pro varietate typi.

Quamdiu apyrexia durat, omnia symptomata morbosa silent, aeger bene se habet, ciborum desiderio gaudet, immo non raro insolitam famem accusat, et, praesertim initio morbi, tota aegrotantis conditio ea est, ut vix morbum latentem conjicias. Quoties vero apyrexia non perfecta est, sed phoenomenis morbosis turbata, aut complicatio quaedam subest, aut aeger febre correptus tanta laborat, diuturnis forsitan praegressis exhaustus morbis, virium debilitate vel humorum dyscrasia, ut paroxysmi vim infensam, illo jam finito, adhuc persentiat.

Omnium complicationum frequentissima haud dubie est affectio gastrica, quae omnino, uti postea latius exponemus, inter praecipuas febris intermittentis causas est memoranda. Cognoscitur ejus praesentia ex colore cutis subflavo, lingua obtecta, nausea, vomituritionibus, capitis gravitate, pressione hypochondriorum. Illam autem apyrexiae conditionem accurate explorare, sapienti medico summopere curae cordique esse debet; apyrexia enim non omnino perfecta febrem non ab omni compli-

atione liberam indicat; quam completam reddamus, pri-
usquam ad sic dicta specifica confugiamus, necesse est.

Morbi exitus.

Quamvis inficias ire non possimus, febrem intermittentem ad molestissimos ac pertinacissimos pertinere morbos, id tamen concedendum est, mortem non inferre, nisi valde neglecta vel male tractata fuerit, aut perniciosa quaedam subsit indoles atmosphaerica. In sanitatem plerumque abeunt, sive sponte, omni jam, uti veteres existimarunt, materia damnosa eliminata, sive adhibitis remediis, ratione nondum enodata, morbum debellantibus. Haec valetudinis in integrum restitutio duplici modo obtineri potest: aut paroxysmi sensim sensimque intensitate et extensitate decrescunt tandemque plane desinunt, aut facta quadam valida naturae reactione, crisi solemni morbus exstinguitur.

Inter crises, frequentissima vulgoque tanquam omen salutare nota, exanthema est aliquod vesiculare, circa os, labia vel nasum prodiens, nonnunquam etiam ad internam oris membranam subrepens, interdum per majorem cutis partem sparsum. Vesiculae illae, seminis miliacei vel pisi magnitudinis, cum dolore urente catervatim erumpentes, liquore limpido, subflavo replentur; post horas viginti quatuor exsiccantur, crustam fuscam relinquentes. Ex Schönlein *) observationibus phœnomenon illud criticum non reperitur, nisi in iis epidemiis, ubi omnibus fere morbis ad eruptiones exanthematicas, praesertim ad eczema miliare, maxima inest proclivitas, uti ann. 1825—1826, quum insignis illa epidemia exanthe-

*) l. c. p. 15.

matica Europam perlustraret; non tantum enim scarlatina, variolae et miliaria frequentius caput extulerunt, sed etiam ipsa syphilis saepius, quam solet, cutem adgrediebatur.

Alia morbi crisis, multo quidem rarior, haemorrhagia quaedam est ex utero, naribus, vel ano; diarrhoea etiam et vomitus ab auctoribus velut crises designantur. Quartana praeterea aliam quamdam crisin peculiarem habere dicitur,*) furunculos scilicet in gena, vel tumorem abdominis.

Quoties febris intermittens his criticis naturae conaminibus depellitur, sanatio plerumque perfecta est, nec facile timendus morbi reditus. Quoties vero artis auxilio subito depulsa aut quodam modo suppressa est, praesertim non omnibus, quibus opus est, adhibitis cautelis, ne morbus denuo revertatur, nobis omnino erit timendum.

Haec autem ad iterandos insultus proclivitas febri intermittenti non tantum quartanae, uti schola salernitana docuit, sed etiam quotidianae, magis quam cuilibet alii morbo, est peculiaris. Quod vero maxime mirum est, recidivae typum aliquem sequuntur, ita ut quotidiana septimum, tertiana decimum quartum, quartana vigesimum octavum diem sibi eligat, quo revertatur.

Recidivarum causae multiplices esse possunt, commodam tamen admittunt distinctionem in internas et externas. Tanquam causa interna, seu quod idem est, praedispositio ad recidivas, accusanda est corporis conditio labefacta, e morbi praegressi injuriis et detrimentis

*) S. G. Vogel, Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft. 1. Ausg. Thl. I. p. 95.

ondum plane refecta; cognoscitur ex facie sublurida, culis languidis caeruleoque illorum margine, digestione urbata, debilitate universa, totoque aegri habitu, qui licitur habitus febrilis. Internis causis etiam adnunerandum est residuum quoddamque morbosum, in corpore adhuc delitescens, sive materia peccans, sive irriatio nervosa, quibus, morbi eruptio simili modo, uti n primario insultu, provocatur, quoniam antea non legiime e corpore ejecta, sed remediis temere adhibitis oppressa et quasi involuta fuerint.

Etiam causae externae, tanquam frequentissimi recidivarum fontes, sunt memorandae. A febre intermittente convalescentes insignem exhibent receptivitatem in irritamenta aliis hominibus vix nocentia. Indigestio quaecumque, potus frigidiusculus, tempestatis mutatio levior, immo, quod vix explicari potest, ambulatio quaedam ad fluminis ripas, morbum jam fugatum denuo revocare valent. Nec animi pathemeta, quibus certe in hoc morbo vastus est campus, sunt despicienda. Multa referuntur exempla hominum qui terrore, cura, ira perculsi, vel etiam metu ne iterum morbo corriperentur, in recidivas incederunt.

Inter recidivarum causas non est omittendus, non sat diu ac sufficientibus dosibus continuatus febrifugorum usus, praecipue Chinae; quod inferius in therapia exponenda fusius explanare tentabimus. —

Nec infimum locum inter exitus febrium intermittentium infaustos morbi secundarii tenent, in quos aut directe transeunt, aut qui, febribus debellatis, tanquam tristes sequelae apparent. Primo loco memorandus venit transitus in alias febres, sive intermittentes sive re-

mittentes; quae quidem typi mutatio modo est salutaris modo infausta, ita tamen ut, quo propiores paroxysmi inter se conveniant, si, v. g. ex quartana fit tertiana, ex quotidiana remittens simplex, eo major felicis eventus spes sit haurienda. Quotidiana praecipue, propter insignem in alias formas transeundi proclivitatem, nota est. Nulla intermittentium species frequentius in lentam aliosve morbos graviores terminatur, quamvis nonnulla reperiantur exempla, in quibus febris lenta, cui quotidiana supervenerat, hac sanata fuerit. In regionibus calidis, ubi omnino ad affectiones putridas major est propensio, etiamsi febres intermittentes frequentes sint, si tamen comparuerint, in putridas libenter transire non raro conspiciuntur. —

Gravissimae intermittentium sequelae, tum propter earum frequentiam, tum propter turbationes quas organismo afferunt, sunt organorum abdominalium obstructiones, seu emphraxes, (Fieberkuchen). Sedem suam habere possunt in omnibus fere visceribus, quae haematopoesi provident, in nullis tamen frequentius, quam in hepate atque liene, quippe quae, exploratione instituta, tangentibus manibus intumescentiam modo duriorem modo molliorem offerunt, tamen rarissime talem, quae scirrhosa appellari possit. Mirum est et hactenus minime explanatum, quomodo haec organa, quorum etiam functio normalis multis adhuc involuta est tenebris, in febribus intermittentibus tam graviter afficiantur. Hanc rem paululum dilucidarunt, saltem quoad anatomica, diligentissimae disquisitiones quas instituit celeberrimus Gendrin*) de Anatomia pathologica tam bene meritus. Mu-

*) Journal général de Médecine. Vol. 100. p. 12.

ationes organicae, quas in liene febre intermittente defunctorum invenit, erant fere sequentes: volumen organi abnorme, et quidem fere in omnibus dimensionibus praecipue vero quoad longitudinem, justo majus. Illius parenchyma condensatum, structura autem ipsa non alienata; vasa sanguifera, quibus lien constat, nec obliterata, nec clausa. Nulla illorum dilatatio, nec varicosa expansio, de quibus nonnulli loquuntur, a Gendrin memorantur, si illa excipias vasa quae a liene ad ventriculum decurrunt et brevia nominantur. Organon plerumque multo sanguine repletum invenit, et quidem tanta quantitate, ut vi sanguinis turgescentis haud raro ruptura lienis oriretur, praecipue si ejus mollities jam ad altiorem pervenerat gradum, quae organi mollities, si per aliquod tempus duraverit obstructio, semper fere reperitur. Memorat insuper alium casum in ejusmodi obstructionibus chronicis lienis emolliti et sanguine venoso repleti non nunquam occurrentem, hœmorrhagiam nempe repentine ex ventriculo vel ano exortam. Insignis quandoque sanguinis copia per vasa brevia e liene educitur, unde non raro sequitur lienis depletio salutaris. —

Ejusmodi emphraxes multa corpori incommoda parant et quamdiu persistunt, recidivarum metus non est abjiciendus. Turbant illae affectiones praeprimis digestionem et sanguinis in systemate portarum circuitum, quum viscera, propter magnitudinem saepe enormem situm plane alienum accipiant, partes vicinas comprimant earumque functiones coerceant. Frequentissime etiam in illis obstructionibus ponenda est causa mali ad-

modum molesti atque pertinacis, febrem intermittentem saepius consequentis, nempe hydropis. —

Qui unquam illas permigravit regiones ubi febris intermittens endemice grassatur, certe non potuit non animadvertere numerum miserorum qui, in tumida facie tumidisque extremitatibus, vestigia morbi praegressi vel adhuc praesentis, prae se ferunt. Hydropes, tanquam intermittentium sequelae, curae neglectae aut male adhibitae suam debent originem. Multorum tamen peritorumque medicorum experientia constat tales affectiones oriri posse, quamvis omnis adhibita fuerit diligentia. Hic exitus, sive sub forma ascitae, sive anasarcae sese exhibeat, est perniciosissimus. Semper fere ex organicis viscerum abdominalium metamorphosibus prodit, quas tollere vix unquam succedit. —

Exponendus adhuc restat exitus omnium pessimus, etsi rarissimus, nempe lethalis. Mors accidit aut in ipso morbi insultu, aut illo jam debellato, per morbos secundarios. Febres quae aegrum ipso paroxysmo e medio tollunt, perniciosae nominantur, mortemque afferunt aut in stadio frigoris, testibus *) Sydenhamo, Hoffmanno, et aliis; aut in stadio caloris, quod praecipue observatur in regionibus meridionalibus, uti in India, ubi Lind aegrotos nunquam frigore, saepe vero calore pereuntes vidit. **) Huic diversitati diversa mortis causa supponitur; si durante frigore mors contingit,

*) Trnka de Krzowitz. l. c. p. 238.

**) Lind, Versuch über die Krankheiten denen Europäer in heissen Klimaten unterworfen sind. a. d. Eng. Riga. 1773.

ex nervorum paralysi explicatur, toto systemate nervoso quasi rigente; si vero ardore jam erupto, apoplexia et sanguinis congestio cerebri accusantur, quarum quidem vestigia in cadaveribus inventa fuisse refertur. —

Mors, ut ita dicam, secundaria ex omnibus illis affectionibus proficisci potest, quas tanquam intermittentium sequelas supra memoravimus, praesertim ex febre hectica et hydrope. Ruptura subita organi alicujus abdominis infarcti rarius mortis causa esse videtur. Attamen non superfluum erit, casum peculiarem a Duret *) relatum, paucis exponere verbis: mulier triginta annorum, ab aliquo jam tempore febre intermittente laborans, horis vespertinis, quum debilis admodum deambularet, in fossa quadam sub arboris umbram consedere voluit. Altera die in eodem loco eam mortuam invenerunt. Sectione instituta, corpus erat discolor, abdomen intumidum; sub percussione sonus sanguinis extravasatum indicavit. Integumentis abdominalibus resectis, ingens sanguinis nigrescentis et jam coagulati copia ex abdominis cavitate effluxit. Peritoneum et intestina erant pallida nullumque inflammationis vestigium obtulerunt. Arteriarum ac venarum trunci majores erant vacui. Lien volumen suum normale superavit insignemque ostendit rupturam a margine posteriori usque ad hilum sese extendentem, quae sanguinis extravasationi modo memoratae ortum praebuerat. Hepar erat integrum, pallidum, exsangue; interna ventriculi intestinorumque superficies pallida. —

---

*) Journal général de Médecine. Vol. 99. p. 138.

Necroscopia.

Ex cadeverum sectionibus, etiamsi immumerae fer institutae sint, non insignes admodum, ad febris inter mittentis naturam magis dilucidandam, fructus hactenu prodierunt. Caeteroquin non omnia, quae in scriptis tan quam visa reperta inveniuntur, pro phaenomenis febr intermittenti peculiaribus sunt habenda; mors enim illan affectionem non facile immediate sequitur, nisi acceda aliquod phaenomenon fortuitum, ipsi morbo non impu tandum, aut aliquis morbus secundarius jam sit obortus a quibus maxime pendent in mortuis inventae alien ationes. —

Pallas quem supra jam citavimus et qui, durant febris intermittentis epidemia, quae inter milites ultim bello graeco-turcico tam immaniter saeviebat, multa ca davera explorare potuit, quae invenit, summatim hi describit: *) jam externus cadaveris aspectus a norm admodum recedit; per majorem illius partem, praecipu autem in facie, palpebris superoribus et extremitatibus in eo latere cui aeger incubuerat, oedema conspicitu valde extensum. Tela cellulosa subcutanea incisa, ubi que aliqua effluit seri quantitas. Abdomen erat tumi dum, durum; nec raro in uno alterove pede locu apparebat gangraenosus in cujus centro vesicula quae dam livida, magnitudine unius vel plurium pollicum, ele vatur, quae mox disrumpitur et in insigne ulcus gan graenosum transit. Membrana oris mucosa quandoque etiam alienata, tumida quidem et ulcerosa, foetidum odorem spargens, reperitur. —

*) Pallas, réflexions sur l'intermittence etc. p. 13.

Thorace aperto, pulmones fere semper normales erant, si excipiamus quasdam inter pleuram pulmonalem et costalem adhaesiones, consistentia et firmitate longinquam indicantes originem. In ipsis pleurae saccis rarius major continebatur seri copia; pericardium e contra semper repletum. Cor semper admodum molle et friabile erat, in dextro ejus atrio et ventriculo sanguinis coagulum bis repertum fuit, ex febrina colorata et substantia quadam gelatinosa constans. Arteriae et venae pectoris majores nunquam insigniorem aliquam abnormitatem; quoad vasorum structuram et consistentiam, praebuerunt; sanguinem vero tenuiorem et nigrescentem continebant. —

In abdominis cavitate mutationes omnium gravissimae in conspectum venerunt. Integumentis discissis, serum viridescens atque pellucidum effluxit, quo omentum et involucrum viscerum peritoneale quasi, maceratum videbatur. Ventriculus et intestina aliqua inflammationis vestigia offerebant, praecipue inferior pars ilei et coecum; membrana mucosa partis inferioris coli descendentis rubra, crassescens, nec raro fungosa, ulcerosa, gangraenosa et sanguinis disseminata erat, immo hujus intestini parietes semel ulceratione plane destructi occurerunt, unde insignis orta erat perforatio per quam intestinorum contenta in cavum abdominis penetraverant Vesiculam felleam Pallas semper non tantum norma majorem, sed etiam majori bilis quantitate repletam invenit, quod et alii observarunt, praeterea plus minusve destructam et admodum lacerabilem. In liene illas conspexit anomalias quas supra notavimus. Affirmat prae-

terea se semper hepar intactum vidisse, dissentiunt tamen plerique auctores qui in hoc organo similes, sicuti in liene mutationes observarunt. —

De systematis nervosi alienationibus, quas accuratius in hoc morbo perscrutari maximi esset momenti nondum sat certas numerosasque habemus disquisitiones. Reider *) se membranas cerebri sanguine oppletas reperisse narrat, atque in cerebro ipso serosas exsudationes vidisse. In aegra quadam quae jam per longum tempus febre intermittente laboraverat et denique epilepsiae succubuit, invenit Schönlein **) juxta plexus aortam amplectentes, pseudoproductiones peculiares, massis tuberculosis admodum similes, a magnitudine lentis usque ad ovum columbinum, quae abdominis nervos et ganglia comprimentes, epilepsiam haud dubie produxerant. Memorat praeterea clarissimus auctor se simile quid observasse in tussi convulsiva, ubi ejusmodi pseudoproductiones phrenicum et vagum circumdabant. —

Aetiologia.

Hujus morbi causis quam accuratissime indagandis omnes impendamus vires non modo propterea maximi est momenti, quia inde in theoriam nonnulli possunt redundare fructus, sed, uti in omnibus ejusmodi malis late propagatis, quoniam, illis accuratius indagatis, morbi progressibus finem ponendi, indolemque illius malignam tollendi, non raro contingit possibilitas. Notum est, Lancisium nonnullas Italiae regiones, per longum tempus febris intermittentis epidemiis quotannis devastatas,

*) l. c. p. 123.

**) l. c. p. 5.

eo saniores reddidisse, quod paludes ibi admodum frequentes et vastas exsiccari jusserit. Brockmüller,*) medicus in oppido munito Juliaco praxin exercens, anno 1811 febris intermittentis epidemiam valde malignam ibi observavit, quae ingentem inter homines edidit stragem. Explorationibus accuratius institutis, causam in eo delitescere existimavit quod fossae, oppidum circumdantes et per longam annorum seriem sordibus multis repletae, nunc purgarentur et ex massis congestis substantiarum putrescentium per aërem vapores pravi exhalarentur; quam ob rem purificationi finem ponere jussit, morbique inde exstitit conditio benignior, si non terminatio perfecta. Multis insuper exemplis allatis idem demonstrare possemus; sed, proh dolor! neque semper, etsi summa adhibita diligentia, veram causam eruere, neque, si perscrutari contigerit, plane detegere valemus.

Quid vero de morbi proxima causa dicendum sit, supra jam exponere tentavimus, ubi de morbi natura locuti sumus; ignota adhuc manet, quamvis hypotheses prolatae fuerint sat numerosae.

Quoad causam praedisponentem, negari quidem nullo modo potest, magnas illi partes in febre intermittente procreanda deberi. Persaepe enim alii illa afficiuntur, alii intacti manent, quamvis utrique iisdem influxibus telluricis exponantur, nec vivendi ratione, victu, domicilio, aetate, laboribus perficiendis, quidquam inter se differant: in quo autem illa dispositio consistat, ex quibus phaenomenis cognoscatur, id

*) Brockmüller, in Harless, Neue Jahrbücher 1824. Bd. IX. No. 2. S. 148.

cum quadam certitudine definire velle sane res esse difficilis. Dantur quidem medici qui contendunt homines humorum dyscrasia et chylopoesi vitiata laborantes praecipue huic affectioni esse obnoxios et antea optima valetudine gaudentes ipsa corripi et inde graviores abdominis affectiones sibi conciliare. Quod mirum est autem et febri intermittenti peculiare, est illius raritas aut forsitan defectus absolutus in animalibus, quibus a nonnullis, uti a Schönlein,*) Hildenbrand**) et aliis plane denegatur; dum alii, uti Schnurrer***) in epidemiis vehementioribus non raro in animalia, praesertim in equos illam transiisse affirmant, cui opinioni etiam assentit Damoiseau,†) qui in equo aliquo quartanam observavit, post quinque paroxysmos in typum irregularem, dein in tertianam, ac denique in quotidianam transeuntem.

Aetatem si spectamus, frequentissime adgreditur hic morbus annos paulo provectiores: infantes et senes rarius afficit, minime tamen ipsis omnino parcit. Qui nimia sensibilitate ac systemate nervoso facile irritando sunt praediti, facilius in illum incidunt, quam alii. Quis vero decidere vellet utrum haec individua facilius afficiantur quia majori gaudent dispositione, vel quia in causas excitantes externas vehementius reagunt? Quomodo febris intermittens sese habeat, quoad sexus varietatem, opificii etc., statisticis computationibus nondum exploratum est, quod eo magis dolendum est, quod inde

*) l. c. p. 7.

**) Institut. practic. med. t. I.

***) Schnurrer, Chronik der Seuchen, Tübingen, 1825.

†) Recueil de médecine vétérinaire, 1824. p.318.

forsan haud spernenda emolumenta curae et prophylaxi exsurgere possint.

In tota vero aetiologiae hujus morbi disquisitione nihil sane gravius ac perscrutatione dignius est, quam natura hujus morbi modo sporadica, modo epidemica, modo endemica. Etiam sermo fuit de contagio quodam, in febre intermittente sese evolvente et morbum ab uno individuo ad alterum transferente; et quidem huic opinioni adhaerent viri *) insignes, ut Meibom, Fr. Hoffmann etc. exemplaque afferunt haud despicienda; sed, uti jam ingeniosissimus Ramazzini **) monet, quamvis de miasmate contagioso aliqua posset esse suspicio, dum uno in aliqua familia a febre correpto, caeteri paulo post ex eadem febri decumberent; id tamen potius in communem diathesin, ad maturitatem eodem tempore evectam, non secus, ac cum autumno fructus eodem tempore maturescunt, esse referendum, quam in effluvium aliquod contagiosum, quod e primo aegrotante expirans, caeteros afficeret. Quae quidem autorum de febris intermittentis natura contagiosa dissensiones mirae atque insolitae nobis videri non possunt, si perpendimus, non aliter se rem habere cum omnibus fere aliis morbis pandemicis. Revocemus tantummodo in memoriam innumeras controversias, quae de cholerae asiaticae indole contagiosa vel miasmatica agitatae fuerunt et nunc adhuc temporis agitantur; quamvis, propter morbi malignitatem, et ipsi medici, et regimina, et civitatum magistratus, ad propagationem morbi impediendam veritatemque clare eruendam omnem adhibuerint diligentiam. An, quamvis

*) Trnka de Krzowitz. l. c. p. 121.

**) De Constitut. p. 18. §. 22.

clariorem rei tanti momenti lucem attulerint, isti sempe laudandi conatus? Quid etiam de peste orientali, cuju vis contagiosa jam ab antiquissimis temporibus apu omnes tam certa habebatur, ut, qui dubitaret, vix inve niretur, ita ut ingentes conatus innumeraeque institutio nes prophylacticae factae sint ad morbum illum pesti ferum a civitatibus removendum. Dubia vero exort sunt haud exigua, a tempore quo Bulard*) suas de ho morbo in ipso Oriente factas observationes institutaqu experimenta evulgavit et contagiositatem omnino dene gavit. Nec de animalium quidem morbis hoc respect accuratam satis cognitionem obtinemus, etiamsi propte tentamina multo facilius instituenda et observationes al illusionibus fraudibusque liberas, tutius faciendas, veri tatis perscrutatio minus difficilis videatur. Attamen d ipso maleo humido, (Rotz, morve) equorum, cujus po testas contagiosa per multa secula apud omnes pro adeo certa habebatur ut nemo dubitaret quin equus hoc mal correptus, cujuscumque curae conamine esset indignus statimque enecandus, ne animal affectum sociis etiam contagium perniciosum transmitteret. Novissimis tempo- ribus plane aliae surrexerunt opiniones, et dum Elli- otson, nonnullique alii exempla haud refutanda enarra- bant, alii exstiterunt, qui de contagiositate inter ipsos equos valde dubitarunt; atque idem, si libelli fines con- cederent, de multis aliis morbis insuper demonstrare, facile esset negotium.

Febrem intermittentem nonnunquam epidemice grassari, non facile in dubium vocare poterit, qui medi- cinae annales paulisper perlustravit. Vestigia quaedam

*) Med. Zeit. des Vereins für Heilk. in Preufs. 1837, No. 35.

jam reperimus in antiquissimis, quae ad nos pervenerunt, medicinae monumentis, et certissime frequentius, adhuc tales epidemias commemoratas et accuratius descriptas inveniremus, nisi morborum character epidemicus, qui patri medicinae tantae gravitatis fuit, per tot secula sicuti quaelibet omnino medicina rationalis, oblivioni traditus esset, donec tandem immortalis Sydenhamus, tantopere de cultioris medicinae studio meritus, medicorum animos et attentionem denuo in distinctionem illam gravissimam secundum characterem constitutionalem sapientissimis adhortationibus direxit.

Omissis iis, quae ante hoc seculum, quo nos vivimus, saevierunt, epidemiis, et quas accuratius perlustrare temporis atque spatii impediunt angusti fines, breviter eas exponamus, quae novissimis temporibus sunt observatae.

Primo loco memoranda venit ea febris intermittentis epidemia, quae anno 1807 multas Europae terras pervagavit, postquam antea per longam annorum seriem rarissime et non nisi sporadice hic morbus comparuerat. Intravit plerumque cum gastrico-bilioso fomite complicatus et solventibus, salinis, praeprimis vero emesi intra aliquot dies profligabatur; cortice peruviano raro indigebat. Aestate sequente, aestu coloribusque majoribus, postquam febres intermittentes per aliquod tempus siluerant, continuis nervosis et dysenteriae malae indolis cedentes, caput iterum extulerunt et non solum multo frequentius comparuerunt, sed etiam longe majori vi atque intensione aegros infestarunt. Typum tum offerebant praecipue tertianum, et in nonnullis Angliæ regionibus ita copiosae fuerunt, ut ipsa animalia domestica

afficerentur, praesertim equi, tertiana etiam laborantes.*) Quod certe valde mirandum est, dum illa epidemi per totam Germaniam septentrionalem, Daniam, et pe meridionales Europae terras longe lateque sese extende ret, et in Borussia tam vehementer saeviret, ut, Hufe landio teste, octavus quisque homo correptus fuerit, i Gallia, Londini et Edimburgi, nulla omnino ejusmod epidemiae fit mentio.

Anno 1809 alius exstitit morborum character, prio rem omnino depellens suamque exercens vim in omne affectiones morbosas, nempe inflammatorius. Cu tempori suam debent originem omnes illae medicina theoriae, e. g. Marci et Broussaii, inflammationi tam in signiter faventes, ut ex illa omnes morbos deduxerint Character ille inflammatorius non diu tamen sceptra tenuit et breve fuit illius imperium, cum jam vergente anno 1818 genio nervoso cedere debuerit, per plures annos vigenti.

Nova deinde et quidem valde late propagata febris intermittentis epidemia anno 1825 intravit, post inundationes magnas, quae tum locum habuerunt. Inde ab illo anno febres intermittentes in plurimis Europae terris fuerunt frequentissimae, nec cessarunt, donec cholerae asiaticae in occidentalem Europae partem introitus illarum imperio finem poneret; ab illo tempore non nisi sporadice in conspectum veniunt. Deducere voluerunt nonulli ex hoc phaenomeno argumentum pro sententia sua, choleram nihil aliud esse, nisi febrem intermittentem perniciosam, cui etiam Chinae in illo morbo

*) Schnurrer, Chronik der Seuchen, Bd. II, p. 480.

usus innitebatur. Sed argumentatio talis, quam est temeraria atque praepropera! Duo illi morbi nihil inter se commune habent, nisi quod uterque morte praecipite aegrum interimat; sed peculiarium et pathognomonicorum intermittentium signorum, an ullum in cholera conspicitur? Nulla adest stadiorum frigoris, caloris et sudoris varietas; nullus febrilis affectionis phaenomenorum consensus; nulla denique criseos per urinam vel sudorem vestigia. Quapropter nullo modo assentiendum est iis, qui choleram pro febris intermittentis metachematismo habent; id vero constat, alterius epidemiam alteram loco movisse.

Inter omnes vero causas febrium intermittentium maximam sane merentur attentionem, e n d e m i a e, quia, ut supra jam exemplis nonnullis allatis demonstrare conati sumus, illis sublatis, non raro morbi in terra quadam exstinctio contingit. Quaerentibus vero quaenam igitur sit qualitas illa peculiaris, qua character endemicus oriatur, responsio non est facilis. Vulgo quidem contendunt, regiones paludosas, profunde sitas ejusmodi endemiis esse obnoxias, quapropter in quibusdam Hollandiae provinciis, in India occidentali, in Batavia offenduntur; in terris vero siccis, ut in Scottia, Islandia, Laponia etc. non observentur; sed si res ita se habet, cur in altioribus Helvetiae locis; cur Pampelonae, Hispaniae in urbe, in magna, alta et aeri bene exposita planitie sita et flumini cuidam, in Pyrenaeis orienti ac toto suo decursu raptim fluenti, adjacente, frequentes et acerbissimae, Pallas *) teste, febrium intermittentium saeviunt endemiae?

*) Pallas, l. c. p. 21.

Reider, qui naturae miasmatis illius eruendae multam navavit operam, effluvium aliquod supponit, ex substantiis quibusdam sub certis conditionibus sese evovens et miasmati febrium paludosarum ortum praebens. Aqua, ut experientia docuit si ex parte solum et non sufficienter aeris athmosphaerici accessui exposita est et multis substantiis organicis permixta, perfacile in putredinem abit; si vero perpetua commotione ex. e fluxu et refluxu, undarum ictibus, cum aere constante perpetueque in contactum venit, non putrescit atque integra servatur, quia motus efficit ut substantiae organicae mixtae non sufficiens tempus habeant ut decompositionem patiantur. Quo fit, ut lacus, stagna aliave aquae receptacula majora, quamvis non rapido cursu fluant, etiamsi aqua sint repleta, non putrescant. Aquae ad putredinem dispositio adhue augetur, substantiae animalis si ipsi quaedam commixtae sunt, etiam in putrescentiam abeuntes tanquam fermentum in illam agunt. —

Corporibus animalibus, quibus vulgo tanta potentia in effluvio illo maligno procreando tribuitur, Reider minus culpae imputandum esse censet, *) et quidem propterea, quia vix unquam in locis coemeteriorum nimis repletorum vicinis, in campis proelii mortuis agminatim obtectis, in locis ubi mactantur animalia etc., non raro foetorem admodum ingratum ac penetrantem spargentibus, morbi febriles pandemici oriuntur, etsi quidam homines inde haud raro incommodis atque etiam affectionibus gravibus afficiantur. Typhum bellicum, quem quis forsan ad opinionem hanc refutandam

*) l. c. p. 50.

roferat, nihil omnino demonstrare, ait, quippe qui non x hominum vel animalium cadaverum exhalationibus riatur, sed ex animi pathematibus deprimentibus, ex lefatigatione, longis itineribus, pravis cibis aliisque cauis suam deducat originem. Neque majorem concedit ;ravitatem vaporibus illis damnosis evolutis putredine nassarum vegetabilium, ut ligni, foeni, straminis etc., juamvis minores illarum copias, dum in stagno quodam rel palude congestae sunt, illa vi gaudere sentiat, prop:erea tamen, quia tum aqua sint madefactae, unde etiam ıocivitatem illarum, si post inundationes in terram ;jectae remanent, deducendam esse existimat.

Quaerebatur etiam ejusmodi endemiarum causa in terrae qualitate geognostica. Ex praestantissimi Schoenlein *) sententia, origini vulcanicae multum est tribuendum. Reider, **) solum ex glarea vel arena formatum, parum admodum miasmatis evolutioni favere, contra vero, si ex humo vel luto compositum sit, quam maxime in illam inclinari; idque eam ob causam, quia in illo humores non diu retinentur, sed propter porositatem et cohaesionem exiguam facile evaporant aut profundius penetrant, in hoc vero, quia valde compactus est, longius remanent et denique in putredinem abeunt.

Attamen causae endemiarum illarum sint quae sint, id tamen experientia constat, quam plurimum offendi in regionibus vicinis ad aquas stagnantes, ut cloacas, fossas, canales, portus, ripas fluminum saepe alveum excedentium, porro in climatibus fervidioribus, praesertim sylvis amplis atque densis adjacentibus, solis radiis

*) l. c. p. 9.

**) l. c. p. 52.

aditum ad frondem coeterasque substantias organica solum obtegentes, non concedentibus. Neque etia dubitari potest, illas praecipue sibi eligere terras pa ludosas et profunde jacentes, in altis vero, a lacubu mari, fluminibus late remotis, inundationibus non facil expositis quamvis febres intermittentes sporadicae hau nimis raro observentur, endemicae tamen vix unquar inveniri. —

Quod ad anni tempestatem attinet, qua febriun intermittentium eruptio favetur, praecipue veris atqu autumni initia sunt respicienda; ineunte Aprili in nostra regione intrare solent vernales et usque ad exeunten Junium protrahuntur, dum autumnales mense Septembr plerumque primo comparent neque raro per totam hye mem sese extendunt. Qui quidem in variis anni tem poribus obventus, nihil est fortuitum, sed ex causal quodam nexu proficiscitur, adhuc scilicet nondum ex plorato, quem vero suspicari licet ex fixo ac certo typo, quo febres intermittentes, secundum varium anni tem pus, quo intrant, uti solent. Aëris etiam conditio et constitutio athmosphaerica, ut multa docuit experientia, in febre intermittente procreanda multum habent ponderis; vulgo accusatur nimia humiditas, at nec sola humiditas, nec eximia siccitas morbum gignunt, sed tum potissimum oritur, si post fervidam et siccam tempestatem subito imbres nascantur- —

Tanquam causae febrium intermittentium haberi etiam debent supressiones quaedam, unde nomen ferunt metastaticarum. Testantur hanc originem praecipue scriptores veteriores, qui omnino in morbis ex metastasi explicandis admodum erant parati, et quidem incul-

arunt exanthemata chronica exsiccata, haemorrhagias ıpressas, quin immo Faber *) exemplum enarrat, ferem intermittentem post gonorrhoeam male tractatam xortam, omnibus remediis pertinaciter restitisse, sed unctionibus mercurialibus adhibitis, mox cessisse. —

Expositis iis, quae ad insigniores pertinent, causis raedisponentibus, quaedam insuper afferamns de occaionalibus. Quemadmodum quam plurimi morbi reigerio adscribuntur, ita etiam febris intermittens, et uum nullus fere inveniatur, qui illi se plus minusve xposuisse non recordetur, illud tanquam causam freuentissimam ab ipsis aegrotis accusatum audimus. Non ninor gravitas est, quae tribuitur sordibus gastricis aesaeque digestioni, neque dissentiunt symptomata gasrica, in morbi primordio saepe obvia et recidivae adnodum faciles post diaetam vitiosam. Attamen, quum ic morbus, uti supra exponere conati sumus, focum quasi suum in abdomine, praesertim in visceribus chyopoesi praestantibus, habeat, difficile est dijudicatu, num phoenomena illa gastrica pro morbi prodromis aut pro causae effectibus sint habenda. Eamdem ob causam, neque viribus salutiferis emeticorum, quae sane haud aro in cura febrium intermittentium observantur, quin mmo ad illam plane tollendam non semel sufficiunt, anquam argumento pro gastrica morbi origine nimis est fidendum, quum apud omnes constet, emetica non solum evacuatione, sed etiam organismi quadam concussione et omnium functionum alienatione agere. —

Neque omittenda sunt animi pathemata, quae, et si leviora sunt, tam facile frigus per totum vagans cor-

*) Richters Chirurg. Bibliothek Bd. V, p. 327.

pus aliaque symptomata, tum nervosa, tum gastric provocant; cur non, praesertim dispositione vigenti, febris intermittens, in nervoso et gastrico systemate sedem suam habens, posset excitari? Immo est verisimile, magnam vim mentis perturbationum subitarum in morbi illius cura, vulgo tam nota, perpendimus simulque apud auctores relatum invenimus inter affectiones febris intermittentis secundarias non raro esse maniam et epilepsiam. Quamobrem neque diffidendum est Henderson *) narranti se saepius vidisse homines intermittente affectos solo adspectu aegroti frigore febrili percussi, si quidem in aliis morbis nervosis, uti in epilepsia, chorea etc. infectio talis, quasi per contagium imateriale, negari non possit. —

Prognosis.

Inveniuntur, qui febrem intermittentem pro morbo depuratorio habent, quem vis naturae medicatrix consulto quasi inducat, ut eo velut crisi utatur, ad materias quasdam damnosas in corpore latentes, vel dispositionem aliquam morbosam, crisi facta, eliminandam et auferendam. Nec negari potest, nonnunquam febres intermittentes, praesertim vernales, tam mitis esse characteris, ut levioribus remediis, quin immo sponte, cedant, et si semel remotae fuerint, tam firmam bonamque valetudinem post se relinquere, ut illas semper pro morbo quodam deleterio declarare praeposterum esset, quamvis nemo facile inveniatur qui Boerhavio **) assentiat: longa

*) The Edinburgh, med. and surgic, journal. 1825, No. 84.

**) De cognos. et curand, morb. aphor. 745.

ni vita qui quartanam perpessus fuerit. Attamen benignitas illa non semper invenitur, sed quandoque tam maligni sunt characteris, ut nomen quod gerunt, perniciosarum, optimo jure mereantur.

Haec diversa illius morbi indoles, praecipue in genii epidemici vel endemici, quo intrant, varietate, quaerenda est. Notum est ac testantur omnes, qui illas perlustrarunt regiones, quae pro intermittentium patria quasi haberi possent, uti Bulgariam, Egyptum, Indiam etc. febres intermittentes tantam exhibere malignitatem et repente, priusquam primus ipse paroxysmus sit superatus, aegrum e medio tollere, ita ut cum morbo in nostris regionibus occurenti, et vix unquam vitae periculum minitanti, nullo modo comparari possint.

Nec minoris momenti est anni tempestas qua in conspectum veniunt. Febres enim vernales semper fere sunt mitiores, typum praediligunt tertianum aut quotidianum, aegrum non ita vehementer infestant ac debilitant, curae non diu resistunt. Autumnales contra jure metuuntur; offerunt enim symptomata molestissima, non raro curae pertinacissime repugnant, per totam hiemem protrahuntur, ad recidivas denique maxime sunt proclives.

Typi ratio jam ab antiquissimis temporibus pro momento gravissimo in hujus morbi prognosi instituenda habebatur, et quamvis nonnulla veterum effata quae ad nos pervenerunt, ex quo China aliaque febrifuga recentiora detecta sunt, non plane hanc suam tueantur veritatem, nemo tamen in dubium vocabit magnam interesse differentiam, tum quoad curae difficultates, tum quoad morborum secundariorum periculum, inter simplicem

tertianam et haemitritaeum. Uti fere omnes consentiur
auctores, febris tertianae est mitissima, omnium freque
tissime sponte cedit, rarius in alium typum commutatu
nec facile timendas relinquit sequelas. Pejoris jam om
nis est quotidiana, propter insignem proclivitatem trar
scundi in continuam remittentem cujus semper vald
anceps est exitus. Quartanae denique inter omnes qua
apud nos occurrunt febres intermittentes sunt pertina
cissimae et quamvis verba Hippocratis: Si autumn
inchoaverint, non ante ver proximum poss-
fugari, non amplius ad nostra quadrent tempora, ne
gari tamen non potest saepissime per longiora spati
protrahi et sequelas valde infaustas non semel relinquere
Quartanam malignitate superat, qui in quibusdam regio
nibus occurrit haemitritaeus, quem mors haud raro pos
aliquot jam sequitur paroxysmos.

In prognosi statuenda nec despicienda est caeter
aegri conditio, sicuti valetudo praegressa, vivendi ratio
totius corporis constitutio. Homo praecedentibus morbi
jam exhaustus, uti per se patet, superveniente intermit-
tente multo vehementius afficietur quam alius caetero-
quin sanus. Mirum tamen est morbos diuturnos et gra-
ves a febre intermittente sanari; cujus sanationis exem-
pla a scriptoribus sat multa referuntur.*) Novissimis
quoque temporibus traditur**) etiam epilepsiam cum pa-
ralysi, porro genu hydrarthrum tali modo sanata fu-
isse. Complicationes tamen mali plerumque sunt omi-
nis, quia curam retardant vel impediunt et recidivarum

*) Trnka l. c. p. 228.

**) Medizinische Vereinszeitung. 1835, No. 3 u. No. 37.

:equentissimam causam praebent. Omnium vero infaus-
ssima est intumescentia alicujus visceris abdominalis,
uia sanguinis circuitus turbatur, digestio laborat, vires
onsumuntur, hydrops denique febrisque hectica oriun-
ır. Uti in quolibet morbo, sic etiam in febre inter-
ıittente, minori periculo obnoxii sunt homines aetatis
on nimis provectioris; senes enim non tam robusti ac
alidi, praegressis morbis debilitati, non tanta amplius
irium energia gaudent, ut hujus febris accessus, saltem
ehementiores, semper feliciter superare valeant. Gra-
idae, si quartana laborant, uti observavit praestantissimus
:offmann*), non nisi post partum ab illa liberantur, ip-
que infantes neonati etiam quartanae symptomata offerunt.

Etiam ex ipsa singulorum in paroxysmis stadio-
ım ratione indicia nonnulla, quae prognosi definien-
ae inservire possunt, sunt deducenda. Quo magis sta-
ia inter se congruunt, ita ut nullum longius aut bre-
ius duret, eo melior est morbi indoles. Si unum enim
lterumve stadium omnino desideratur, de felici febris
xitu valde dubitandum est. Symptomata non pro ve-
ementiae majori gradu ideo sunt periculosiora, modo
egulariter sese excipiant, denotant potius perfectiorem
ıorbi evolutionem; praesertim stadium tertium, si per-
picuas per sudorem et urinam exhibeat crises.

Apyrexiae conditio quaedam prognostica quoque
uppeditat adminicula. Quo perfectior enim apyrexia et
morbosis phoenomenis liberior est, eo feliciorem spe-
are possumus exitum. In febribus malignis apyrexia

*) Medicin. ration. system. T. IV, C. 3. §. 18.

saepe plane deficit, aut saltem pulsus irritatione, viriun exhaustione et dedolatione universali turbatur. Multur etiam tribuitur rationi, qua singuli paroxysmi sese ex cipiunt. Typus fixus eodem tempore semper paroxys mum reducens, pro pessimo habetur; quia, uti jam Hip pocrates observavit, pertinaces sunt et saepe procrast nantur ejusmodi febres. E typo anticipante, si paroxysm eadem ratione breviores fiunt, faustum deducendum es indicium. Typus vero postponens secundior est, si in tervallum inter binos paroxysmos in dies prolongatu spem, spontaneae morbi terminationis, habere possumus

De recidivis metuendis haec prognostica adnotand sunt: imminent illae, si, febre etsi diutius jam fugata abdominis infarctus supersunt; si externus aegri habitu is est, qui vulgo febrilis nominatur et facie icterica corporis macie, oculis collapsis, languidis se prodit. Reci divis quoque via sternitur, si febris maturius et prius quam legitimas ac justas suas percurrerit accessiones suppressa fuerit, praesertim adhibitis remediis non ido neis aut incongrua dosi aut tempore injusto. Hu maxime spectat Chinae usus post febrem depulsam no satis diu continuatus, qui, si negligitur, morbus perfacil reviviscit et quidem, affirmante Hoven*) eadem die e hora quas occupasset, si perdurasset. Ex observationibu a Bonarden**) institutis, gingivae margines certum quod dam signum praebent prognosticum, quoad recidivas Quoties enim in eo loco, ubi sese in alveolis dentium introvertit, limbum praebet nigro-rubrum, aegroti ses

*) Van Hoven, von den Wechselfieb. p. 98.

**) Medizinische Vereinszeitung, 1833, No. 18.

manifestat venosa constitutio, recidivarum dispositioni admodum favens; si autem limbus iste non in conspectum venit, haec etiam constitutio tanquam plane exstincta est habenda.

Therapia.

Quum, uti exposuimus, febris intermittens non sem-
ɔer pro malo quodam, sed haud raro pro salutari na-
urae conamine sit habenda, hanc rem, priusquam ad
llius curationem nos accingamus, quam accuratissime
xploremus necesse est. Quae quidem perscrutatio mi-
ıus necessaria est, si causa est epidemica; nihilo tamen
ninus experientia docuit, etiamsi epidemia subsit, prae-
naturam ac nimis citam morbi suppressionem esse
ıoxiam. Quamobrem in hac affectione non, ut in tot
liis, totius curationis cardo in eo vertitur, ut quam ci-
issime fugetur, sed medico curae cordique esse debet,
anquam verus naturae minister, illam adjuvare, quo ten-
lat, diligenter explorare, et tum demum suum admovere
uxilium, si vires illius non sufficere videantur.

In ipso igitur paroxysmo, nisi eventus quidam in-
oliti ac vehementiora symptomata, ut valida adhibea-
nus remedia, urgeant, plerumque ab omni fortiori me-
lela manus erit abstinenda. Intrante accessu, aeger sta-
im lectum petat neque deambulatione atque exercitio
ıegotiorum consuetorum justum morbi decursum cri-
esque turbet. Per frigoris stadium calorem deficien-
em tegumentis auctis quodam modo sufficere studeat,
ıon tamen stragulorum nimia mole congesta; sitim saepe
mmensam potionibus tepidioribus, ut c. c. infusis theifor-

mibus, expleat. Suborto calore, stragulorum copia caut est imminuenda et loco potionum tepidarum nunc frigi diuscula, addito vegetabili aliquo acido, ut citrico ve tartarico, sunt substituenda; si vero phoenomenis non nullis, nimis molestis atque periculosis insignitur, prae sertim nimiis in caput congestionibus, apoplexiam mini tantibus, tum ad antiphlogosin est fugiendum, epithe mata frigida capiti imponenda, immo venaesectione modicae instituendae, aut saltem hirudines applicandae In stadio denique criseos, ne critica naturae conamin pervertantur, industria est adhibenda. Aeger, sudor madidus, ab omni refrigeratione cautissime caveat, cor pus non nimis denudet, potiunculis utatur leniter ecco proticis urinaeque secretionem incitantibus, et in mu tandis vestibus, praesertim interula, ut bene sit calefacta attente videat.

Novissimis temporibus laudaverunt nonnulli Angli et primi quidem Mackintosh et Ridgway, largas in ips frigoris stadio venaesectiones ad totum insultum quasi in principio supprimendum. Stokes,*) qui per epidemiam a. 1827 Dublini saevientem methodum illam admodum frequenter adhibuit, quid de illius dignitat existimet, ita exponit: venaesectione in frigoris acme unciarum circiter quatuordecim instituta, frigus per ali-quod tempus sedatum videbatur; statim autem fasci cubito imponeretur, rediit, debilius quidem, sed non pe brevius tempus protrahebatur, neque congestionis loca-lis signa, postea intrantia, minuebantur aut valde miti-gabantur. Sensus quidem ille peculiaris atque constri

*) Edimburgh med. and surgic. Journal. vol. 31. p. 1.

gens in praecordiis per venaesectionem leniebatur, proximo tamen paroxysmo frequenter denuo revertebat; stadium caloris et sudoris insequens plerumque neque intensitate, neque extensitate, mitius erat, quam fieri solet. Typum quodam modo sanguinis detractiones mutare videbantur; transit enim tertiana in quotidianam, immo in quotidianam duplicem, nonnunquam etiam in febrem continuam cum symptomatibus localibus, e. c. gastritide, complicatam. In febribus chronicis, quas jam viscerum physconiae secutae erant, sanguinis detractiones ad intumescentias resolvendas quidquam contribuere videbantur. Ad febrem omnino depellendam raro tantum venaesectiones sufficiebant, nam inter casus viginti duos ad Chininum sulphuricum confugere coactus est Stokes in aegris septemdecim. Quam sententiam de illa methodo etiam amplexi sunt plerique medici Angliae coeterarumque regionum.

Justum atque idoneum remedia adhibendi tempus, quod etiam natura ipsa designasse videtur, haud dubie illud est, quod apyrexiae nomine appellatur. Illa vero febrilis debellatio non rudi atque empirica ratione suscipiatur, sed quam maxime respiciatur ad causas morbi ejusque characterem.

Indicatio causalis, ut in quolibet morbo, ita in hoc etiam prima est ac gravissima, cui si satisfacimus, haud raro nihil insuper est agendum, quum eo ipso morbus jam tollatur. Inter causas vero frequentissimas notandas censuimus endemicas et epidemicas, porro gastricas et refrigeria; varietati igitur illarum cura admovenda respondeat necesse est.

Quod ad causas attinet epidemicas, eas quidem

tollere non licet, si quidem ad naturae illarum cognitionem nondum pervenerimus; sed prophylactica nonnulla possunt adhiberi, quibus a morbi invasione nos tueamur, aut tamen, si corripimur, morbi vehementiam attenuemus. Quem ad finem in tempore illo, quo tales grassantur epidemiae, diaetam observamus cautissimam, a cibis quibusque rudioribus et digestionem molestantibus abstinemus, fructus acidulos nonnisi concoctos et additamentis acribus conditos in usum vocamus, potiones evitamus nimis aquosas et frigidas, quibus spirituosas aromaticis paululum commixtas, moderata quantitate anteponimus. Non minor cura atque industria est adhibenda in iis, quae ad corpus a nocivis atmosphaerae influxibus servandum spectant; quamobrem vestimenta evitentur nimis tenuia, refrigerationi faventia, porro cubatio in solo humido, praesertim tempore nocturno, balnea frigida et omnia, quae in caeteris etiam epidemiis tanquam noxia diffamantur.

C a u s a e n d e m i c a si subest, tota aegroti conditio ut mutetur, est exoptatissimum; in regiones commigret calidiores, altiores, sicciores, aut, si ad itinera instituenda propter virium debilitatem vel rei familiaris penuriam non est idoneus, domicilium tamen suum ita sibi construat, ut remotum ab effluviis illis damnosis et aëre sicco atque puro perflatum sit. Eorum vero, qui rebus publicis praesunt, est, causas illas damnosas, quae ejusmodi endemias progenerant, radicitus amovere, paludes et lacus exsiccando, fossas et cloacas expurgando, silvas nimis densas interlocando, immunditiem quamlibet impediendo, uno verbo, summa cum attentione in ea omnia vigilando, que politiá medica praescribit.

Si morbi causa est gastrica, bene est distinguenlum, num revera adsint sordes gastricae, an alienata autum organorum digestionis actio, sive in laxitate qualam ventriculi et intestinorum, sive in abnormi bilis secretione, sive vitioso sanguinis in abdomine circuitu, lla sit reponenda. Sordes si offenduntur, ut per se patet, omni industria sunt amovendae, et quidem secundum Hippocratis sententiam „corsum sunt ducendae, quorsum tendit natura," i. e. per os vel per anum. Emetica multum in febris intermittentis cura laudabantur, etiam in iis, quibus nulla sordium complicatio accedit; agunt enim non solum amovendo materias peccantes, sed etiam corpus totumque systema nervosum percutiendo, omnia colatoria aperiendo, secretiones augendo talem que in toto organismo perficiendo commutationem, ut inde jam morbi oriatur resolutio. Tempus accommodatissimum ad emetium praebendum apyrexia est, et quidem aut nonnullas horas ante paroxysmum intrantem, aut brevi post illum finitum; neque diu est exspectandum, priusquam ad illa nos convertamus, sed, quo prius adhibentur, eo citior atque felicior est successus. Veteres curae initio statim emetica propinare non audebant, sed sordes prius mobiles reddendas esse putaverunt, ut possint eliminari, quem in scopum salibus praecipue utebantur, quae, ex principiis chemicis, aculeis suis internam ventriculi et intestinorum membranam vellicare quasi ac stimulare censebant, quare etiam nomen Incidentium illis tribuerunt. Loco emeticorum nonnulli etiam nauseosa parva dosi commendaverunt, praesertim vero Ipecacuanham; atque sane, si illorum effectus salutares in haud paucis morbis nervosis et sic dictis

abdominalibus, in quibus talem totius organismi commutationem perficiunt, ut nova quasi vita evadat, animi perpendimus, in febribus etiam intermittentibus, cum systema nervorum, tum abdominale, ita vehementer infestantibus, boni de illis sperandi sunt eventus.

Incongrua vero, immo noxia emetica tum apparent si, uti aiunt, sordes deorsum turgescunt, quod quidem perspicitur ex alvi depositione irregulari, modo obstipata modo nimis profusa, tenues acresque materias dejiciente abdomine tenso et inflato, borborygmis, flatibus, doloribus per dorsum usque ad femora. Tali statui conveniunt purgantia, modo salina, modo resolventia, modo drastica, prout aut status plethoricus et subinflammatorius, aut pituitosus et biliosus, aut denique torpidus adest. Attamen in purgantium, praesertim salinorum usu nimis diu continuato valde cauti simus, necesse est, quum perfacile tubum intestinalem in statum quemdam referunt atonicum, morbi decursum protrahunt indeque haud raro fundamentum hydropis aliorumque morborum chronicorum ponunt, ac recidivarum dispositionem efformant; si quidem ex observatione Baglivii, purgantia inique adhibita febres simplices non raro in duplicatas, complicatas, per longum tempus protractas et malignas commutant.

Denique, ut indicationi causali satisfaciamus, necesse quoque est, ut morbi respiciamus naturam metastaticam, sive posita sit in fortuita, sive in intenta suppressione pathologicorum vel physiologicorum processuum, ad corporis sanitatem necessariorum. Sic expertissimus P. Frank *) enarrat, se nonnunquam vidisse febres

*) De curand. hom. morb. vol. 1. p. 51.

ntermittentes, quibus scabies, herpes, syphilis, arthri-
is etc. subfuerit, non minus sudores suppressi pedum
et axillarum, suppressae Haemorrhoides menstruorumque
secretiones; quomodo cura variis illis causis sit adhi-
benda medicus prudens atque peritus in quocunque casu
dijudicet, necesse est.

Post causalem demum indicationem absolutam, morbo nihilominus pertinaciter perdurante, ad remedia illa est confugiendum, quae morbum tollere valent specifica quadam ratione, quam vero accuratius, praecipue quoad modum agendi, nondum novimus. Huc est referenda magna remediorum cohors, tum vegetabilium, tum mineralium, tum indigenorum, tum exoticorum, quorum tamen numerus haud exiguus sine ullo damno ex classe medicaminum antifebrilium posset eliminari, quum valide tuteque agentium non sit penuria. —

Omnium facile princeps China est atque alcaloides tanquam efficacissima illius principia nuper in illa detecta. Quotiescumque remedia alia, ex quo Chinae vires antifebriles detectae sunt, propter nimium pretium et patriam externam, illi substituta sunt, nullm tamen hucusque detectum est, quod illi excellentiam disputare posset, quamobrem ad illam tanquam tutissimam ac commodissimam semper medici redierunt. —

Priusquam ad illam adhibendam nos accingamus, caute est explorandum, num omnes sint remotae turbationes gastricae, et digestionis energia quaedam adsit, quum, illa laesa, non ferretur et ventriculum facile molestaret. Minus infestam vim in digestionem alcaloides exercent, eorum que salia propterea etiam commendanda, quia dosi multo minori, quam ipse cortex, propinari pos-

ssunt, quod multi momenti est apud infantes delicatulasque feminas, majores medicaminum copias admodum abhorrentes, porro in hominibus magna ventriculi irritabilitate praeditis, denique in morbi formis illis malignis ubi per temporis spatium quam brevissimum magna remedii dosis ingeratur, necesse est. Caeterum Chinae infensa in nimis sensibilem ventriculnm actio additis etiam nonnullis corrigentibus imminui potest; quem ad finem combinatur cum aromaticis grati saporis ut Cinnamomo, Cort. Aurant., Zingib., Calam., etc. Adhibebatur China diversissimis formis, ut pulveris, mixturae, electuerii, decocti, infuri aquosi et vinosi, boli, tincturae, licutus, clysmatis, fomentorum, balneorum, inunctionum, etc.; efficacissimum tamen est et maxime idoneum, dummodò ventriculus eam ferat, Chinam interne eamque forma pulveris adhibere. Dosis, qua propinàtur, est drachma ß—j, ita ut per apyrexiae intervallum unciae i—ij. consumantur, e. c.

Rp. Pulv. Cort. Chinae Drach. vj.
Pulv. Cort. Cinnam. Drach. j.
M. f. pulv. Div. in part. XII aequal. S. Omni bihorio pulvis sumatur.

Chinae usus nonnunquam alvum nimis ciet, unde diarrhaeae oriuntur, propterea nocivae, quia Chinam, priusquam suas exercuerit vires, e corpore educunt; quo igitur in casu, conjungitur cum Opio, e. c. secundum Berends praeceptum:

Rp. Cort. Chin. reg. Drach. vj.
Elaeosacch. flav. Cort. Anrant. Drach. iij.
Tinct. Opii crocat. Gtt. xxiv.

M. f. pulv. Divid. in part. aequal. xij.

S. Omni hora pulvis I sumatur.

Si vero Chinae usus, quod etiam non raro observatur, alvum obstipat, illi addenda sunt remedia blande purgantia, praesertim Rheum.

Nostris temporibus Chinam omnino depellere videtur alcaloideorum, quae continet, usus multo commodior; attamen neque Chininum, neque Cinchoninum, neque ulla illorum compositio salina Chinam omnino supplere valet, praesertim in febribus valde pertinacibus, porro in iis, quae multoties jam recidivarunt; in China enim conjunctum videtur principium illud febrifugans cum raborante, quo fit, ut non solum morbum praesentem e corpore expellat, sed etiam contra novos insultus corroboret atque tueatur. Propinantur salia alcaloideorum illorum dosi gr. β—ij, et per totam apyrexiam scrupuli usque ad drachmam, pro varietate aetatis, virium, febris characteris etc. Quamvis autem vires Chinini salutares insignes sint, neque effectibus caret damnosis, qui, priusquam adhibeatur, bene sunt perpendendi. Ex Kühlbrand *) observationibus, illius usum haud raro sequuntur oppressio pectoris, inquietudo, vertigo, phantasmata, susurrus aurium, omnino in superiores corporis partes congestiones, saepius tamen in mulieribus, quam in viris. Phoenomena illa non semper post majores remedii doses intrarunt, sed etiam post minores, ex. c. post granum dimidium, ter assumptum; nonnunquam etiam, quod valde mirum, salivatio, per plures dies perdurans, visa est.

*) Kühlbrand, ein Wort über die gewöhnlichen Febrifuga in Casper's Wochenschrift. 1835. No. 30. S. 473.

Inter varia Chinini salia nulla differentia insignior intercedere videtur; plerumque utimur Chinino sulphurico, cui alii praeferunt muriaticum, alii phosphoricum alii hydrocyanicum *) laudaverunt. Ronander in tannate chinico et cinchonino remedium invenit, de quo adhuc multum sperandum, si omnia febrifuga, ipsa China et Chininum sine ullo successu fuerint adhibita, praesertim in febribus, asthenia torpida et ad hydropem dispositione perspicuis. Commendat vero hanc formulam:

Rp. Tannatis Chinici
Piper. nigr. pulv.
Extr. Absinth. aa Unc. β.
M. f. pil. No. XXX. consp. etc.

et in febribus tertianis et quartanis omni trihorio, in duplicatis vero quartanis et quotidianis omni bihorio pilulas tres assumi jubet; horis vero duabus, paroxysmum proxime antecedentibus, omni hora propinetur dosis, praecipit; nimia sensibilitas si observatur, loco Piperis, dosi cuique Opii grani quadrantem addere suadet.

In febribus valde pertinacibus vel rebellibus diversa proposita fuerunt ad Chininum additamenta. Sic laudat Romberg, **) praecipue si quaedam adest complicatio cum physconiis hepatis aliorumque viscerum abdominis, pulveres ex Chinini gr. j. cum. Rad. Bellad. gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{3}$, quorum quotidie tres vel quatuor praescribit, eosque post febrem depulsam, per dies octo ad quatuordecim continuari jubet. Nunquam, illa si adhibuerit remedia,

*) Gouzée, vid. Observatéur médical belge. 1834. Avril—Juin.

**) Casper's Wochenschrift. 1835. No. 17. S. 270.

ıorbi observavit recidivas et, quod multi momenti est, uamvis copia Belladonnae ab aegrotis consumptae, aud raro non parca esset, intoxicationis tamen symp- ›mata non in conspectum venerunt, unde videtur vis arcotica hujus remedii extracto magis quam radici, ıesse. Primus aegrotus, in quo illam adhibuit curam, criniarius erat, ab anno uno et dimidio jam quartana ıborans, pluries quidem e nosocomio tanquam sanatus missus semper vero denuo in morbum recidens. Jam edema extremitatum caeteraque symptomata cachexiae, ti post diuturnas intermittentes comparent, intraverant. ıbi Chininum sulphuricum cum Radice Belladonnae ccepit; proximus jam paroxysmus excidit et, remediis ontinnatis, euphoria in dies augebatur, ciborum appe- entia rediit, oedema evanuit, et post tres hebdomadas, ıullum morbi supererat vestigium, nullamque postea ıeger recidivam est perpessus. Neque minor successus uit in puella quadam, a tribus jam mensibus quartana aborante, in qua non solum frustra pugnabat China, sed post hujus usum damna etiam intrarunt sat insignia; color aegrae lividus, abdomen inflatum, pedes intumidi, et menstruorum retentio, quin imno dolores et tumor in regione lienis de illius hypertrophia jam testabantur. Resolventibus nunc in usum at sine successu vocatis, Chinino vero cum Belladonna adhibito post tres jam hebdomadas morbus plane erat fugatus.

Nevermann *) multam tribuit laudem huic formulae:

Rp. Chinin. sulphur.
Chinoidini aa Gr. j.

*) Vid. v. Graefe und v. Walther Journal. 1836, Bd. XXIV. H. 4. S. 625.

Pulv. Rad. Bellad.
Opii puri — aa gr. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$.
Pulv. aromat. gr. viij.
M. f. pulv. Disp. t. d. No. XX.

Omni bihorio per spatium apyrexiae pulverem unum sumendum praescripsit, et affirmat febrem post aliquot doses plane fugari, nec denuo recidivare, dummodo in praeceptis diaeteticis non peccetur, et illis diebus, quibus paroxysmi intrare debuissent, pulveres reiterentur. In nonnullis casibus gravioribus idem medicus Chinoidini gr. ij cum Ferri zootic. gr. jv, cum felici adhibuit successu.

Kühlbrand *) in illa febris intermittentis forma, ubi peculiaris quidam sensus pressionis in scrobiculo cordis, non ex gastrica, sed ex nervosa origine prodientis, aegrum adeo molestat, bono cum eventu usus est pulveribus ex Chinini muriat. gr. j et Bismuth. nitric. gr. ij, quos omni bihorio assumi jubet. Bismuthi dosin usque ad gr. iv — v. porrexit, neque metuit, ad majores etiam doses ascendere. Si febris quamvis complicationem exhibet cum convulsionibus, sive tetanicis, sive epilepticis, Moschum cum Chinino combinavit, et in homine quodam, convulsionibus vehementissimis per stadium frigoris et caloris laborante, non minus quam dosibus quadraginta pulveris, ex Chinini gr. iij, et Moschi gr. ij. compositi, opus fuit, donec febris debellata fuerit.

Neque interne solum China ejusque alcaloidea adhibentur, sed externe etiam, praecipue si, propter ni-

---

*) l. c. p. 474.

ιiam ventriculi sensibilitatem et vomitum omnium in-estorum, via illis per os non pateret. Sic suadetur ıfantibus admodum teneris, Chinam, post alvum depo-itam, in clysmatis forma exhibere, simul cataplasmata x bulca ex China parata, applicare, nutrici vero Chi-am interne propinare. Pupke *) enarrat, se lactan-em mensium novem sanasse emetico praescripto, ma-rem vero Chinino. — Inunctiones quoque cum ungu-ntis, ex China paratis, in usum vocarunt medici; quem d finem, Kosack **) commendat solutionem Chinini r. iv — vj. in Aether. sulphur. drachma una; Villermay ***) tiam, infantem cujus ventriculus Chinam non tulit, lysmatibus et inunctionibus chinicis a febre intermittente iberavit. —

Nec defuerunt, qui fumigationes hujusmodi lauda-ent; Rapou †) asserit, vapores ex China, Chinino ulphurico, quin immo ex substantiis aromaticis simplici-ous, in ipso paroxysmo applicatos, non raro sequenti am obvenire, et multum prodesse, ubi alia remedia jam ncassum adhibita fuerint.

In tempore definiendo, quo Chinam administrare maxime convenit, non omnes consentiunt autores. Ple-rique quidem per totum apyrexae spatium continuandam esse defendunt; nonnulli tamen et intor illos celeberri-mus Nasse, tempus paroxysmum brevi antecedens pro aptissimo agnoscunt, et Chinae vel Chinici dosin ali-quam hora dimidia ante illius introitum propinant, eam-

---

*) Medicin. Vereinszeitung. 1835. No. 50.

**) ibid. 1834. No. 5.

***) Froriep's Notizen 1826. Bd. XV. No. 21. s. 336.

†) Traité de la methode fumigat. Par. 1827. 2 vol.

que paulo post frigus exortum repetunt. Sed jam P. Frank optime monuit, etiamsi illa methodus forsan esse salutaris, eam tamen non adhiberi posse, quia tempus proximi paroxysmi intrantis non semper idem est, propterea a priori notum non est, et paroxysmo intrante ventriculus non semper in ea est conditione, ut remedia ferat, sed omnia ingesta vomitu ejiciat.

Adnotandum insuper est, in hujus remedii usu, curam non tanquam finitam et absolutam esse habendam statim ac paroxysmus non denuo comparuerit, medela e contra per aliquod tempus adhuc est continuanda, ut recidivae praecaveantur, et morbi radices funditus quasi exstirpentur. Ex Schönlein*) praeceptis hunc typum sequi juvat: in febribus quotidianis Chinae usus per dies quatuordecim post morbum fugatum est continuandus, ita quidem, ut quatuor primis diebus omni bihorio corticis scrupulus dimidius vel unus propinetur, iis solum exceptis horis, quibus paroxysmus adesse solebat, per ultimos vero dies octo Chinam non sumi jubeat nisi per ipsum illud tempus, quo paroxysmus ultimus accedebat. In tertiana Chinae usus per hebdomadas ad minimum tres continuetur, necesse est; et quidem prima hebdomada quotidie aeger nonnullas minores assumat doses, in secunda non nisi illis diebus, qui, si morbus adhuc perdurasset, febriles fuissent, in tertia denique sufficit, dosin unam vel duas ipso eo propinare tempore, quo paroxysmus ultimus occurrebat. In quartana denique, cura eadem, quae in tertiana est adhibenda, sed per hebdomadas quatuor protrahenda.

*) l. c. p. 33.

In Chinae locum multa alia substituta sunt **medi-
amina**, quae omnia singulatim perlustrare hujus libelli ines angustos superaret. Quamobrem in eo collineamus iecesse est, ut nonnulla afferamus graviora et in novis- imis praecipue temporibus collaudata. Ac, primo loco, unt nominanda, quae propter naturam chemicam, proxime um China conveniunt, dico Amara et Tonica. Recen- entur inter apparatum antifebrilem: Trifol. fibrin., Ca- am., Hippocast., Caryophyllat., Gentian., Angustur., Arnic., Chamom., Nux vomic. etc., quibus accesserunt temporibus ecentioribus, chemia magis exculta, alcaloidea et prin- ipia vere efficacia in illis inventa et chemice impetrata.

Huc pertinet **Ilicinum**,*) quod in foliis ilicis aqui- olii inventum est, et quod sequenti chemico processu btineri potest: plantae Extractum vinosum in aqua sol- itur, cui solutioni sensim sensimque Plumbum aceticum, Acidum sulphuricum, et Calcaria carbonica additur; deinde iltratum et evaporatum solvitur in spiritu vini, destillatur t denique in vasis planis ad consistentiam spissiorem edigitur. Hujus plantae folia ipsa jam seculo praeterlapso n febribus laudabantur, postea tamen oblivioni tradita uerunt; nostris denuo temporibus e tenebris in lucem prodierunt. Virtutes hujus remedii summopere laudavit Rousseau,**) et sequentes, sub quibus adhiberi potest formas proposuit: 1. Decoctum, foliorum uncia β cum aquae unciis VIII—X coquatur ad remanentiam partis dimi- diae, quae horas duas ante paroxysmum uno haustu su- matur; 2. Extractum, drachma β — jβ per apyrexiam pilu- larum forma adhibetur; 3. Infusum frigidum aquosum et vinosum, ex drachmis i—ij foliorum exsiccatorum et

---

*) Heidelberger klinische Annalen, 1832. B. II. H. 6. p. 345.

**) Berend, Repert. der ausländ. medizin. Litter. 1837. No. 96.

pulveratorum paratum; 4. Ilicini grana VI — XXIV, form pilularum; Clysma ex Decocto unciae ß. foliorum viridium paratum.

Itali laudaverunt Quassinum*) praesertim in febribus complicatis cum quadam digestionis laesione. Illud autem remedium praeparatur evaporatione infusi frigidi ligni Quassiae, ex quo extrahitur substantia admodum amara, fusca, friabilis et pellucida cui illud nomen datum est et cujus grana XVI—XX omni bihorio per apyrexiam adhibita adultos febre liberare valent.

Nec omittenda est, quamvis tanquam remedium domesticum a multis despecta, Coffea, in Hispania usitatissima. Forma vero qua utimur est Decoctum ex drachmis VI Coffeae tostae cum Aquae unciis iijß paratum, cui adduntur Succi Citri uncia jß quae quidem dosis horis matutinis apyrexiae jejune et uno haustu sumenda est, deinde paululum jusculi et per totam diem in lectu commorandum. Insequuntur plerumque alvi dejectiones et sudor copiosus et, dummodo resolutio atque excretio humorum stagnantium, uti Humoralistae putarunt praecesserit, a multis pro remedio tutissimo proclamatur.

Ea denique silentio non sunt prætereunda quae novissimis temporibus suos quoque habuerunt praedicatores, Olea europaea et Phlorizinum. Olea praesertim a Pallas**) valde commendata, qui illius virtutes multis in casibus comprobatas vidit, nec illas deducendas sentit ex plantae amaritie, cum alia amara eosdem effectus non producant, sed ex peculiari quadam virtute nondum detecta. Cœteroquin corticem foliis praefert sive in pilulis, sive in infuso aquoso aut vinoso, decocto, linctu; praecipue vero extractum et syrupus adhibentur. Phlo-

*) Omodei Annali 1831. Novemb. et Decemb. p. 591.

**) Pallas, l. c. p. 113.

rizinum a Koninc*) in medicorum conventu Bonnae, ann. 1835 ad usum commendatum est. Obtinetur e cortice praesertim radicis Piri, Cerasi, Mali et Pruni. Dosis gran. XII—XV ad febrem intermittentem gravissimam suprimendam sufficere dicitur.

Nunc pervenimus ad aliam febrifugorum classem, nempe ad **metallica** et quidem eorum gravissimum **Arsenicum**, de cujus virtutibus tanta adhuc viget inter medicos dissensio. Sunt, qui hoc remedium e materia medica prorsus proseribere vellent, ut de Haen, Lentin, Stoerk, Hufeland, Kreysig, Reiner etc. qui ex illius usu incommoda gravissima**) oriri se vidisse affirmant, uti gastrodyniam, ventriculi embrosiones, vertigines, mentis alienationem, calvitiem, pruritum et exanthema aliquod peculiare, tussim siccam, maciem, chlorosim, hecticam, hydropem et mortem. Alii vero, inter quos eminent Fowler, Brera, Heim, Harless etc. illud medicamen, dummodo caute et prudenter adhibeatur, non solum innoxium sed etiam saluberrimum, et in casibus intricatis nullo alio supplendum esse contendunt. Multa haud dubie pro una et pro altera sententia pugnant, ac difficillimum est, in tanto peritissimorum virorum dissensu certum ferre judicium. Id tamen constat, remedium illud, propter vim in organismum admodum facile lethalem, non esse propinandum, nisi in summo discrimine et si omnia jam in vanum tentata fuerint. Quapropter ad illud tanquam ultimum refugium convertemus in formis illis malignis in quibus vita periclitatur, ideoque auxilium celerrimum postulatur; in febribus pertinacibus, rebellibus contra quas diu, sed incassum cum china pugnavimus. Nunquam tamen erunt negligendae non-

*) Froriep's Notizen 1835. B. XLVI. S. 101.

**) Vogel's Handbuch der prakt. Arzneiwissenschaft. B. 1. S. 86.

nullae cautelae ut ventriculi irritatio imminuatur; quem in finem jam Bonnet *) commendavit, horae quadrant post Arsenicum assumptum praeterlapso, mensuram aquae butyro et ovi vitellis commixtae, tepide biber et dein per plures horas a cibis omnino abstinere. —

Possumus adhibere Acidum arsenicosum, seu Ar senicum album, connubia salina cum Kali vel Natro. Ut dosis autem quam accuratissime definiatur, optim forma sunt guttulae, ut Harlessii **) liquor antipyreticus

Rp. Arsenic. alb. Drach. β.
Aq. destill. Unc. vj.
M. dig. in balneo arenae ope justi caloris per hor. v
tum adde
Kali carbon. pur. Drach. β antea solut. in
Aq. Cinnam. simpl. Unc. ij.
M. diger. denuo per aliquot horas leni calore

Cujus solutionis Potassae arsenicosae ternis vel qua ternis horis guttas sex in vehiculo quodam mucilaginos sumi jubet, et cujus efficaciam non raro, addita Op Tinctura, augeri affirmat. Simul suadet diaetam muc laginosam, nutrientem, praesertim animalem, omnia ver acida cautissime fugienda.

Huic fere similis est formula Heimii:

Rp. Arsenic. alb. pulv.
Kali carbon. aa Drach. j.
Aq. destill. Unc. vi.
M. coque in balneo arenae ad solut. arsenic.
frigefactis adde
Spirit. composit. Angel. Drach. j
Aq. destill. q. s. ut tota
solutio constituat Lib. j,

cujus per apyrexiam omni bihorio adultis guttulas x — xv infantibus vero i — ij praescribit.

---

*) Bonnet, Thesaurus med. pract. 1692. t. I. p. 215.

**) Horn's neues Jour. d. ausl. med. chir. Litt. B. VIII. S. 2. 1808

VITA.

Anno hujus seculi undecimo, die vigesimo mensis Novembris ego Hyacinthus Grillet natus sum Sti. Gingolphi, oppido Vallesiae in Helvetia, a patre Josepho, matre Maria, de gente De Rivaz; confessioni catholicae sum addictus.

Anno h. sec. vigesimo tertio, aetatis duodecimo, collegium adii Sedunense, quod per octo annos frequentavi. Studiis gymnasticis absolutis, anno trigesimo secundo Universitatem petii Vindobonensem quam per quinque annos frequentavi et sequentibus interfui praelectionibus: Ill. Berres de Anatomia, tum generali, tum speciali, nec non de arte [cadavera rite secandi; Ill. Fischer de Mineralogia et Zoologia; Ill. Jacquin de Botanice et de Chemia; Cel. Zcermak de Physiologia et Anatomia sublimiori; Ill. Herrmann de Materia medica, Pharmacologia et de arte formulas rite con-

cinnandi; Ill. Haine de theoria contagiorum; Ill Pachner de theoria artis obstetriciae; Ill. Berndt de Medicina legali et Politia medica. Clinicis praelectionibus interfui sequentibus: Ill. Hildenbrand, Wavruch, Wattmann, Rosas, Klein.

Anno h. s. trigesimo septimo clarissimam adivi Universitatem Fridericam Guilelmam ubi per semestre hiemale sequentes praelectiones clinicas audivi: Ill. Rust, Jüngken, Barez, Wolff, Dieffenbach, quibus omnibus viris summe venerandis maximas, quas possum, ago gratias. — Jam vero tentaminibus et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

Hydrops non est morbus, sed symptoma.

Pulsus de statu virium in febribus certissimum praebet indicium.

Non dantur remedia specifica.

Medicus saepe plus verbis praestat, quam remediis.

TIGHT GUTTERS